DE

JURAMENTI

Promissorii

OBLIGATIONE

Prælectiones Septem:

Habitæ in Schola Theologica

OXONII

Termino Michaelis

Anno Dom. MDCXLVI.

A

ROBERTO SANDERSONO,

SS. Theologiæ in Academia Oxonienſi

PROFESSORE REGIO.

Præmiſſa Oratione ab eodem habita cùm Publicam Profeſſionem auſpicaretur 26. Octob. 1646.

LONDINI:

Impenſis R. CHISWEL, & J. KNAPTON.

MDCCX.

5175 a 21

BRITISH MUSEUM

Oratio habita in Schola Theologica *Oxon.* à *R. S.* Sacræ Theologiæ Regio PROFESSORE, cum publicam Profeſſionem auſpicaretur 26. *Oct.* 1646.

POſtquam mihi, integro jam quadriennio & quod excurrit, quicquid eſt hoc profeſſorii ſive muneris delegatum. ſive oneris impoſitum eſſe ſenſi: dici vix poteſt (Auditores) quam horruerim totus; quam variæ adverſanteſque ſibi cogitationes mox animum alternatim inceſſerint meum. Obverſabantur imprimis ante oculos quam plurima, quæ virum longe viribus præſtabiliorem, audentioremque quam ego me aut eſſe puto, aut haberi velim, à ſuſcipiendo tam arduo munere prorſus abſterrerent. Provincia, cum omni tempore difficilis; tum illis, niſi pejora inſecuta eſſent, peſſimis temporibus, poſt tot enatas novas, veteres renatas hæreſes, multo difficilior: Vires, cum vel maxime vigerent, admodum exiguæ; & tunc accreſcentibus annis fractæ plurimum imminutæque: Memoria fragilis & infida: Impediti oris, in hac etiam balbeſcente ſenectute, infantia: Vel ipſius Latini ſermonis, poſt quinque tum ſuperque luſtrorum abſentiam, inſolentia. Perorandi, prælegendi;

gendi, disputandi, determinandi, cæteraque quæ hujusce sunt muneris præstandi (quæ fortassis ab his exigi fas est, qui assidui sunt in hac palæstra) facultas siqua olim inerat, quum in his studiis aliquantulum versaremur, (& quantilla tum illa!) exoleta jam prorsus, & plane nulla. Denique, ut minutiora illa præteream, longinquæ migrationis cum famulatu & supellectile qua libraria qua domestica, tædium, reliquaque ab re familiari incommoda: vel is unus, quem & fateri pudet, pudor plusquam subrusticus, & (quam facile patior amicos amoris quodam errore Modestiam interpretari) invirilis quædam verecundia. Insuperabilis illa quidem; ut quam natura insevit, firmavit educatio, fovit hactenus, atque etiamnum fovet tenuitatis propriæ conscientia: sed quæ tamen vix aliud comperi quidquam à prima pueritia ad hunc usque diem, aut rationibus meis aut existimationi magis adversarium. Retundit hæc assidue generosiores quosque animi impetus: eximium quid ausuri conatus frangit: memoriam pessime labefactat, sermonis vim aut præripit, aut sistit: ut, quod mihi visus sum quandoque mente concepisse haud prorsus incommode aut ab re, hoc aut non ausim proloqui statuo taciturnior aut sitentem, sic timide, sic gelide, sic id faciam hæsitans, ut aliquando nonnunquam præstaret non tentasse: Dicam verbo, & quod res est; una hæc timiditas, &

(

(*si dabitis vocabulo veniam*) *hæc infiducia mei, ut de munere hoc detrectando serio cogitarim, atque etiam illud eam in rem tentarim; plus efficit, quam cætera illa, quantumvis gravia, quæ hactenus commemini, universa.*

Occurrebant dum ista hæc cogito, ex adverso pauca quædam, nec aspernanda, quæ labantem animum nonnihil erigerent, cunctantemque subinde velut subjectis stimulis in hanc arenam propellerent. Optimi Regis judicium: crebri amicorum hortatus: vester multorum (*ut illi submonebant, & ego haud inexpertus humanitatem vestram facile credebam*) *in me proni affectus. Pepulerunt ista fateor,* (*ut par erat*) *animum meum; quin & commoverunt: sed hactenus, ut tamen si meo unius arbitratu res statuenda foret, nec longa nec difficilis futura esset deliberatio. Quid enim? Patererne ego me ætate jam declivi, defectis viribus, memoria lubrica balbum & pertimidum senem, ex suavissimo quo perfruebar otio & umbra, in apricum & in pulverem, iniquissimo tempore, post 25 annorum missionem, quasi postliminio, & invitum rapi? & quæ me poterant satis expurgasse cicutæ, si lubens consensissem? Quis non omnem mihi Anticyram destinatam crederet, ni abnuissem & quoad verecunde licuit, restitissem?*

Ergo ne perduci poteras, inquietis, ut conditioni tam iniquæ acquiesceres tandem, sanus utriusque auribus atque oculis? Poteram,

ut videtis, & perductus sum; ita sunt ut res humanæ, sic & consilia incerta: Sanusne an secus ubi facti rationem edidero, vosmet judicate. Certe non ego hac in re vel ingenio meo obsecutus sum, vel etiam judicio: cui ut optatius fuit, ita visum est salutarius, in tenebris latitare securum, quam cum labore & periculo prodire in scenam. Imo vero egi cum amicis, qui apud serenissimam Regiam Majestatem videbantur aliquid posse; idque non una vice, coram & per literas semel atque iterum obtestatus per omnem amicitiam, regis animum pertentarent fieri ne posset sine ipsius offensione, ut de hac Cathedra aliter statueretur, nec ego tam importunum onus tam imparibus humeris sustinere cogerer. Pertentant: renunciant fieri non posse; perstare in sententia Regem, quod ante jussisset & id ratum esse velle: non utique obniterer porro frustra, sed onus quod excutere non possem, qua possem animi alacritate subirem & perferrem. Hæc admonitus, officii conscientia, cujus voluntati obtemperare debui, ejus authoritati, cessi: Maxime cum altius assurgerem (nam quæ hactenus dicta sunt ad humanas tantum rationes pertinent,) & ut decuit hominem & Christianum & Theologum, summam Dei Opt. Max. providentiam, singula quæ in terris aguntur vel minutissima quæque, prout ipsi collibitum est, & suaviter & fortiter

fortiter moderantis, diligentius cogitarem: Scilicet est cor Regis in manu Domini, sicut derivationes aquarum, & pro beneplacito suo convertit ipsum. Hæc ego quo sæpius & attentius cum animo reputavi meo, eo mihi propius conjunctam cum Regia voluntate divinam etiam vocationem visus sum contueri. Siquidem nihil aliud est, quantum ego quidem adhuc intelligere potui, ordinaria Dei ad aliquod munus vocatio, quam ab his penes quos est plena & legitima de ejusmodi rebus statuendi potestas, personæ ipsorum judicio non inidoneæ, nulla intercedente prava ambitione, dolo, malisve artibus, designatio. Pervicit itaque omnia impedimenta, omnia objectamenta diluit, duplex illa parendi necessitas, voluntati Regiæ, Divinæ vocationi. Quo mihi paratiorem apud omnes bonos, apud omnes æquos rerum æstimatores excusatiorem fore confido, si (quod indubie futurum prospicio) in obeundo hoc tam illustri, tam arduo munere, nec votis meis, nec vestræ expectationi satisfacerem. Dabo tamen operam officio utcunque ut satisfaciam meo: & sane, ut aliquid saltem de me fidenter dicam, spero me aliqua ex parte satisfacturum: illud si concedatis, quod omnino concedi debet & est verissimum, non satisfeciſſe officio qui se ingessit, ni fecerit, quod debuit: satisfeciſſe qui admotus est, si fecerit quod potuit.

Exposui pluribus, auditores, provinciam hanc quo consilio jam olim susceperim: cur in

ea administranda toto quadriennio nil gestum sit, si forte requiratis, paucioribus expediam. Quo tempore reverendus in Christo Pater Vigorniæ Episcopus, cathedra pastorali conscensa, doctoralem hanc quam permultis jam annis plurimum ornaverat, mihi successori designatâ reliquit (fuit id æstivâ vacatione circiter Kal. Sextiles :) discessitum hinc ea mente, ut proximo termino Michaelis certo etiam die constituto, Kal. scil. Novembribus reverterer ; res domesticas interea componerem, eaque curarem quæ reditum maturarent. Quid multa ? curo, compono & totus in hoc sum. Gliscere jam tum simultates publicæ, magis magisque indies universa in pejus ruere, ardere passim omnia discordiis civilibus : versari in ore, in auribus, in oculis omnium nil nisi bellici apparatus, armorum strepitus, tumultus militum. Ego tamen pergo, sed segnius aliquanto quam occæperam, vasa colligere, sarcinas complicare, capsas & cistulas rebus necessariis implere ; ex quibus una, magno meo cum infortunio paulo longius domo mea eo fine præmissa ut huc commodius asportaretur, post aliquot menses cum supellectile quam habui pretiosissima incidit in glutinosas manus bonorum illorum virorum, quibus pro jure vis est, & arma pro legibus : unde eam mihi reglutinandi nulla jamdiu reliqua est aut facultas, aut spes. Sed quod amissum est, missum facio, & pergo. Instat tandem destinatus itineri dies ; & erant quæ ad

profecti-

profectionem videbantur necessaria, pleraque expedita: præstolabar tantum tabellarium hinc cum literis ex quibus nonnulla, quæ mihi usui forent, & rescire intererat, intelligerem. Miror hominem condicto die non adesse: expecto adhuc diem alterum, tertium, quartum; comparet nullus: quinta demum luce venit, sed pedes, inops, squalidus, & mœstus. Nempe acciderat forte per illa tempora, (ipsissima hac ferè anni tempestate,) prælium illud atrox, & utrique parti satis funestum Monticivense, sive ad Edge-hill: unde disjecti sparsique per oppida longe lateque milites vicina quæque loca occupabant & vias undique publicas nefariis deprædationibus infestabant. Narrat misellus homuncio, ut in hos incideret, ut se minis contumeliisque pessime exceptum, equo, vestitu, nummis, & tabellis expoliaverint: docet omnia rapinis, latrociniis, concussionibus, terroribus plena: quoad ardor ille belli refrixerit, intuta omnia viatoribus. Quibus auditis, necessitati iterum parendum ratus, abjeci profectionis consilium, certus memet domi continere, donec resideret nonnihil belli æstus, & immutata rerum facies spem ostenderet commodioris profectionis: quod ego sane, ut eram illarum rerum inexpertus, intra paucos saltem menses futurum non dubitavi. Sed heu! quam inanis fuit spes illa! Exarsit ex illo tempore multo quam ante æstuosius belli furor, pervagatusque est latius, & afflictiores indies

res

res evaſere publicæ : Venit interea Oxonium *cum exercitu ſereniſſimus Rex* Carolus: *urbem vallo & foſſa cingit, præſidio firmat : figunt hic ſtativa prætoriani milites. Abjecta igitur protinus omni ſpe & pacis publicæ, & reditus huc mei : quod reliquum erat, experiri ſtatui, veterum illud λάθε βιώσας an aliquid contineret ſanæ ac ſolidæ Philoſophiæ. Periculum feci, latui, eaque fui in propoſita ſententia, (poſtquam ita conſtitueram) ſive conſtantia mentis ſive pertinacia: ut cum alias quam parciſſime, idque non niſi magna cogente neceſſitate, cum integro propemodum biennio, non omnino aut ocreas induerim aut equum conſcenderim, aut parochiolæ meæ anguſtiſſimos fines (qui ubi maxime patent vix ſunt millenûm paſſuum) vel latum pedem unquam exceſſerim. Quod quam animo meo fuerit jucundum, quam rebus meis ſalutare ; nec ego ſatis oratione complecti, nec vos exiſtimatione conſequi poteſtis. Qua in re ingratiſſimus eſſem, quotquot ſunt uſquam mortalium, ſi non providentiæ divinæ vim, ſapientiam, bonitatem & agnoſcerem lubens & lætus deprædicarem : cujus ſingulari beneficio factum eſt, ut quod pauciſſimis in tanta rerum perturbatioee contigiſſe reor, mihi domi meæ inter meos conſidere licuerit ; libris, literis, otio frui: & quod ad animi mei fructum maximum duco, illibatam una cum libertate conſcientiam, & dignitatem conſervare. Scil. ab domo abductus*

ſum

ſum mea, iniqua ut tum videbatur conditione ſed (Deo providente) non infelici tamen; ut alium quendam verbi præconem belli lege captivum in libertatem redimerem; virum ſane gravem & diſertum, quicum interceſſerat mihi à multis ante annis ex vicinia & longo uſu non levis animorum conjunctio & amicitiæ quædam neceſſitudo. Ne longum faciam; uterque tandem data utrinque fide publica ita domum remiſſi ſumus, ut communis incolumitatis mutui invicem obſides eſſemus. Hæc fides ſancte ſervata, utrique noſtrum in hoc tanto rerum æſtu tranquillitatem ſecuram præſtitit. Sicque mihi, auſpice Dei bonitate, brevis procella longam peperit halcyoniam.

Verum, ubi poſt deditam hanc urbem, immutatamque in tantùm rerum conditionem, ut saltem itinerantibus ſecuriores eſſent viarum tranſitus, oblatam mihi opportunitatem ſenſi Academiam reviſendi: de ornanda hac quæ mihi obtigiſſet Sparta denuo cogitare cœpi: Nempe contractam longo ſitu ſeu rubiginem, ſeu ſcabritiem ocyus abradendam, excutiendum omnem torporem: reptandum è latebris in apricum, ingenium deſes & inurbanum quapote excitandum, & ad Academicos mores, ſtudia inſtitutaq; paulatim efformandum: hoc eſt, ut ego interpretor, vim naturæ faciendam, & vel invita Minerva Minervam colendam. Statui itaque, ſed communicato prius per literas cum amicis conſilio, ad medium Octob. adeſſe,

adesse, si & illis id opportunum videretur. Rescribit non sibi id opportunum videri, sed necessarium, adeoque ab omnibus expectari; proinde advolarem, de prælegendo aut disputando nec solicitus essem; nec enim in tanta Academiæ solitudine, in mediis castris & inter arma (ubi silere solent leges) istarum rerum rationem ullam haberi, nedum expectationem: Pergratum id fuit homini & semper cunctatori, & subire onus ignavo, maxime & imparato. Quamprimum itaq; per alias occupationes, & continuos imbres licuit, huc advolo: ita securus ab omni publici officii metu, ut ne vel solitariam schedam adversariarum annotatiuncularum mecum attulerim. Alium enim mihi proposueram istiusce itineris finem duplicem: alterum, ut de Academicarum rerum præsenti statu certius aliquid præsens cognoscerem: alterum, ut de futura prælegendi ratione cum viris amicis & prudentibus consilium caperem. Sciebam enim vi statuti atque etiam officii prælectiones habendas esse: sed in prælegendo quam potissimum viam insisterem, ut id sequerer quod Theologiæ studiosis & gratissimum esse posset & utilissimum: id vero nisi ab his edoctus qui quid maxime esset ad gustum & sensum eorum qui nunc sunt hominum, exploratum haberent, scire non poteram. Ast ubi advenissem, vix salutatum resalutatumque est invicem, cum mihi nova occinitur cantilena: prælectiones ordinarias pro more solito à profes-

soribus

ſoribus expectari. Egone: ut aliquid ſic inſperatum præſtem, hac temporis anguſtia, hoſpes, & harum rerum inſolens, & quem tot alia premunt incommoda? Fieri non poteſt, inquam: Illi contra, At fieri oportet. Tunc ego mecum, Jam ergo teneris: nec eſt aut elabendi ſpes, aut deliberandi locus. Sed bono es animo; Non eſt impoſſibile, niſi nos dialectici fallant, quodcunque eſt neceſſarium: —— δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγὺς τοῖς Audendum ergo aliquid; & nunc tertium, quod à te bis antea factum eſt neceſſitati parendum. Protinus ergo & calamum & chartas, & ſcrinia poſco: & dum meditor (pro more publice profitentium) aliquid ipſo in limine præfari, quod apud humanitatem veſtram habituram eſſet juſtæ excuſationis inſtar, dum eam in rem ſcripturio neſcio quid ſubciſivis horis & ſubſultoria opera, exit tandem de re nihili, hoc eſt de me, & de rebus, factis, conſiliis meis jejuna hæc & (ut vereor) nimium importuna narratiuncula.

Quam quo mihi videmini pronioribus animis & auribus excepiſſe, eo confidentius ad illa accedo quæ ſuperſunt dicenda: & ſpero vos facile exoratum iri, ut qua me attentione & patientia hactenus proſecuti eſtis de præteritis rebus diſſerentem, eadem proſequamini porro, dum quid ego vobis in poſterum ſpondeam, quidque à vobis viciſſim petam, qua potero brevitate expoſuero. Prius illud quod attinet, imprimis aperte profiteor

fiteor non esse me ex illorum numero, quibus cordi est litem ex lite serere, rixas ciere doctiores quam componere, quique controversias novas movere malunt quam summovere veteres, & contentionis funem trahere quam abrumpere: ingenioſi ſuo fortaſſis & aliorum judicio; ſed certe malo publico. Est hæc gens hominum numeroſa ſatis & multigena: ſed in triplici fere diſcrimine. Sunt qui ſuo neſcio quo malo genio, vel etiam odii invidiæve æſtro perciti, alienorum operum Ariſtarchi fiunt & cenſores ſeveriſſimi. Excutiunt hi non ſententias modo & locutiones hominum, ſed & vocum & ſyllabarum minutiſſimos quoſque apices. Si erratum eſt in re aliqua quamvis leviſſima, ſi quid forte aut vehementius, aut temperatius dictum quam pro ipſorum palato; vociferantur continuo; inſectantur, damnant, & tantum non diro anathemate feriunt. Si quid obſcurius prolatum aut ambigue, trahunt ſemper in deteriorem partem; & ne deſit calumniæ locus, ſenſum ei de ſuo affingunt. Quod ita ſanum, ſolidum, pulchrum eſt, ut non audeant vituperare, (quod vituperio proximum eſt) maligne laudant. Eſt alterum genus eorum, qui aut ex inanis gloriolæ cupiditate, nova & inaudita opinionum monſtra in Eccleſiam invehunt, quorum eſt hoc infælix ſeculum longe feraciſſimum; aut μικροφιλοτιμία quadam laborantes pulchrum eſſe ducunt inutilibus diſtinctiunculis & ſubtilitatibus, aut puerilibus inaniis, gratiam

apud

apud adoleſcentes captare, aut riſu diducere rictum Auditoris: Diſputaturientes Theologi, nec veteri Stoicorum vulgo multum abſimiles; qui ſeveriorem profeſſi Philoſophiam, in exilibus tamen Grammaticorum λεπτολογίαις vel Dialecticorum argutiolis omne ævum tranſegere. Tertium genus latiſſime patet, eſtque eorum hominum qui aut ſtudio partium ſic illos admirantur, quibus ſe magiſtris addixerunt, ut ſibi nefas eſſe putant ab eorum placitis vel latum unguem diſcedere; aut odio partium ita ſe demum ſatis eſſe religioſos exiſtimant, ſi ab eorum ſententia, quos ſibi adverſarios conſtituerunt, quam longiſſime receſſerint. Hinc alios effectus videas ἀυϑεϛείας & ἀνϑολατρείας ex Antipapiſmo Semianabaptiſtas, alios ex Antipuritaniſmo Semipapiſtas, alios —— Sed piget iſta ulterius proſequi tam innumera, tam ingrata: & ad alia feſtino. Harum ne in ulla claſſe nomen cenſeri mereatur meum, Deum cordis mei conſcium teſtem advoco, cui ſervire in ſpiritu filii ſui ante omnia cupio, ea me mente ad hoc munus accedere, non ut propriæ exiſtimationi aut affectibus, non ut alterius cujuſquam voluntati aut gratiæ, ſed ut unis his tribus litarem, Veritati, Pietati, Paci. Et quidem ſpero precorque eundem illum Deum, cujus gratia hanc miſericordiam hactenus conſecutus ſum, viliſſimus licet peccator, ut tamen eſſem fidelis: largiturum mihi in poſterum, pro ſua bonitate, ne ab eadem hac

mente

mente ullis aut mundi illecebris, aut machinis tentationum aut temporum inclinationibus unquam dimovear. Cujus ope fretus, ut cætera non ausim pollicer quæ non sunt mearum virium, spondeo vobis tamen in fungendo hoc munere, quoad Deus permiserit, sinceritatem, fidem, & postquam hospes esse desiero, diligentiam.

Sunt & nonnulla, viri, patres & fratres, ut ad ultimum illud orationis meæ caput tandem accedam, quæ à vobis ego vicissim expecto, vel saltem expeto ; compluria illa quidem, si aut mihi vacaret exequi, aut vobis audire singula. Sed præterquam quod id nimis longum esset, est quoque ut mihi videtur non multum necessarium ; tam qui humanitatem dixerit, hunc ego omnia illa una voce complexum esse arbitror. Cogitate obsecro, quantæ sit molis, non cum uno jam Typhone Romano (quæ fuit quondam præcipua & penè singularis in hac arena concertatio) sed cum tot efferis gigantibus, Socinianis, Pelagianis, Antinomis, Anabaptistis, Erastianis, aliisque succrescentibus quotidie velut Hydræ capitibus novis hæreseon monstris quorum vix audita vulgo nomina nedum satis explorata dogmata, manus conserere : Cogitate cujus sit artis ; anguillas illas lubricas & cœno gaudentes, sed quid ego anguillas dico ? Apage diminutiva ; quin angues potius μᾶλλον ἢ δαναπόδας *(Sectarios, inquam & sophistas) è cavis & limo quibus*

se

se abdiderunt eruere; in lucem protrahere, ita constrictos tenere, nequa aut toxico noceant, aut elabantur lubrico. Cogitate quantæ sit solertiæ, latentem sub ovilla veste lupum deprehendere; Detrahere & pellem nitidus qua quisque per ora Cederet introrsum turpis: Hypocritarum & Enthusiastarum, qui obtentu Reformationis orbi illudunt, qui sub larva Spiritus Carni militant, qui libertatem prophetandi sibi arrogant ut aliis licentius imponant, quid sibi vellent, & quo tendant occulta consilia sapienter perspicere, eorumque conatibus tempestivè & prudenter obvenire, ne θεὸς πάντα; *Quotusquisque est ea narium sagacitate, ea perspicacia oculorum, ea lacertorum & laterum firmitate, ut ad ista omnia debita peragenda unus sufficiat? Ista si cogitabitis, facilè ut opinor, & illud unà existimabitis, mihi cui omnia jam dicta ex officio incumbunt facienda, omnino sub tam impari onere succumbendum esse, ni vos me fatiscentem usque & languentem cum omni humanitate vestra subinde sublevetis. Condonabitis itaque, ut spero, ingenio, pudori, memoriæ, ætati, desuetudini, quicquid quacunque in re nolens peccavero: si quid fortè, inter disputandum aut aliàs excidit non maturè cogitatum, incongrue dictum, aut incommodè enunciatum; si dictio aut phrasis non occurrerit rei de qua agitur exprimendæ satis idonea; si memoriæ diffisus, (quod me prædico, & aliàs quoties opus est facturum, & inter prælegendum constanter,) quæ apud vos dicturus sum è chartis recitavero: si denique quod est ab antecessoribus*

mis quacunque in re egregiè præstitum, id ego vel non præstitero, vel admodum tenuiter.

Hujus autem vestræ in me humanitatis certius mihi pignus dare non potestis, quàm si præsentis instituti mei consilium resciero vobis non improbari. Dixi modo, & vere dixi, nihil mihi adhuc certi constitutum esse, in hoc prælegendi officio, quam viam insisterem.

Utrumne primò, quod à multis factum video, Epistolam aliquam Apostolicam analytice explicarem & Scholiis illustrarem; corollaria inde, ad fidem & pietatem utilia, breviter deducerem, controversias emergentes, digressione facta, fusius pertractarem; loca revincendis hæreticis & sectariis opportuna, urgerem & confirmarem; vicissim quæ sunt ab iis in rem suam prave detorta, nativo sensui restituerem, utraque ab ipsorum sophismatis & cavillationibus vindicarem?

An potius secundò, Historiam Evangelicam Domini nostri Jesu Christi, vel juxta filum Narrationis unius alicujus quatuor Evangelistarum, vel etiam magis ex omnibus harmonice contextam, proponerem & explicarem; & nodos historicos aliasque difficultates, quæ ex φαινομένης ἀντιλογίας quæ ex rei subjectæ qualitate aut circumstantiis ortas dissolverem?

An tertiò, pari ratione historiam sacram Ecclesiasticam ex Apostolorum Actibus & Epistolis secundum temporum ordinem dispositam?

Vel etiam quartò, integram historiam Biblicam utriusque Testamenti à mundo condi-

to

dito ad constitutam usque ab Apostolis Ecclesiam Christianam perpetuo filo deducerem, & rerum gestarum exempla ad usum conscientiæ & vitæ institutionem, quoad res ferret, accommodarem?

An quintò, ex textu aliquo Scripturæ breviter expositò, locum communem Theologicum, maxime de re aliqua fidei controversa, proponerem methodice explicandum: ut, de Scripturæ perfectione, de satisfactione Christi, de authoritate Ecclesiæ, de peccato Originali, de Justificatione fidei, de Merito operum, de Purgatorio, Transubstantiatione, & id genus aliis.

An sextò, locum aliquem communem Theologiæ Practicæ, sive Moralis, pari modo explicarem; & casus dubios Conscientiæ eo pertinentes ex certis agendi regulis & principiis illustrarem & dissolverem: ut, de Votis, de Juramentis, de Scandalo, de Rebus Adiaphoris, de libertate Christiana, de Obedientia & Subjectione, de civilibus Contractibus, de Divortiis, de Restitutionibus, aliisque ad Dei cultum, aut ad fraternæ dilectionis & justitiæ officia spectantibus?

An denique utramque Theologiæ partem (Scholaſticam dico, & Moralem) ſic pariter excolerem, ut neutra ſe merito conqueri poſſet neglectam penitus aut excluſam; ſed alternis terminis, ac viciſſim nunc in controverſiis fidei dirimendis, nunc in conſcientiæ caſibus enucleandis, exercerer?

En vobis indicavi, quotquot eſtis Theologiæ ſtudioſi, quæ cum aliqua veſtra utilitate fieri poſſe videbantur, ſingula: veſtrum erit ſtatuere ex his quid fieri velitis. Quà veſtra inclinant ſtudia, hac me comparabo: & quod pleriſque veſtrum gratiſſimum eſſe ſenſero, id univerſis utile judicabo. Sed enim hoc unum interim non poſſum diſſimulare, ad practicam hanc Caſuum Theologiam ſponte ſua & quaſi natali ingenio multo propenſiorem eſſe animum meum, quam ad illam rixoſam Controverſiarum. Cum itaque mihi nunc aliquid eſſet neceſſariò & ſubitò faciendum, nec qua ſpiraret favoris veſtri aura in hac tanta temporis anguſtia ſatis explorare poſſem: obſecutus ingenio meo, ad Moralem Theologiam inflexi curſum. Cumque cogitarem quam ſit grave Perjurii peccatum, Deo pariter & hominibus exoſum; ſimulque animadverterem quot hominum myriades his perturbatiſſimis temporibus tam

nefario

nefario crimine ſe implicuerint; dum, aut metu adacti, aut inducti dolo, juramentis ſe obſtrinxerunt variis, & interdum ſic inter ſe adverſis, ut alterutrum ſine certo perjurii periculo nec ſuſcipi potuerit, nec præſtari: exiſtimavi non potuiſſe me utilius operam collocare, quam ſi aliquid, quod ad Juramenti & Perjurii rationem pertineret, diſcutiendum ſuſciperem; atque ex tota hac materia delegi potiſſimum eam partem hoc termino explicandam, quæ eſt de Obligatione Juramenti, de Juramenti, inquam, Promiſſorii Obligatione. Ordiar autem hanc tractationem; Deo volente & auſpice, comite patientia veſtra, die Veneris proximo, hora conſueta. Unicum illud interea à me exorandi eſtis, viri, patres & fratres perdilecti in Chriſto, pro ſumma veſtra humanitate & pietate, Deum Opt. Max. omnis boni fontem & largitorem mecum comprecemini: ut in omnibus meis ſtudiis & conatibus ſic me ſpiritu ſuo regat, verbo dirigat, benedictione proſequatur; ut ea ſola ſentiam, faciam, doceam, cum omni ſobrietate & prudentia, quæ ipſius gloriæ, Eccleſiæ Chriſti ædificationi, matris Academiæ honori & ornatui, ſtudioſorum in vera fidei & conſcientiæ puritate profectui, meæ denique ipſius & paci internæ & æter-

næ ſaluti aliqua ex parte inſerviant; per & propter merita Domini noſtri Jeſu Chriſti; cui cum Patre & Spiritu ſancto Triuni Deo, ſit omnis Honos, Laus & Gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

DE
Juramenti Obligatione:
PRÆLECTIO PRIMA.

NUM. XXX. 3.

Vir ſi voverit votum, aut ſi juraverit juramentum, ligando ligamen ſuper animam ſuam, non polluet verbum ſuum: ſecundum omne quod egreſſum eſt ex ore ſuo, faciet.

SUMMARIUM.

1. *Propoſitio dicendorum.*
2. *Juramenti definitio.*
3. *Juramentum eſt actus Religionis.*
4. *In Juramento Deus teſtis invocatur.*
5. *Materia Juramenti eſt Res dubia.*
6. *Finis Juramenti fides.*
7. *Dati Juramenti definitio continet quatuor cauſarum genera.*
8. *Juramentum Aſſertorium & Promiſſorium.*
9. *Juramentum Comminatorium.*

10. *Juramentum Execratorium.*
11. *Obligationis definitio & distinctio.*
12. *Obligatio ad Culpam & Pœnam.*
13. *Juramentum est sua natura obligatorium.*
14. *Obligationis in Assertorio & Promissorio discrimen.*

SECT. I.

DE qua expeditius, & vestro majori cum fructu dicturum me arbitror, si in ipso statim vestibulo futuræ tractationis, generalem quasi typum & σκιαγραφίαν vobis ante oculos posuero. Sic enim & vobis melius constabit instituti mei ratio; & ego certas orationi meæ metas figam; ut aut intra debitos fines usque se contineat; aut siquando forte extra oleas paululum procurrerit, non tamen ita laxe evagetur, quin ut possit mature & cito in ordinem cogi, & ad lineas revocari. Tribus itaq; capitibus rem totam absolvam. Primum, ut qua de re agitur clarius intelligatur, ostendam quid sit *Juramentum* in genere, quid in specie *Promissorium juramentum*, quid item *Obligatio*. Deinde, quoniam de rebus incertis ex certis statuendum est, proponam Axiomata quædam, sive προλήψεις, hoc est, regulas generales è fonte juris naturalis haustas, & communi gentium consensu comprobatas; velut *hypotheses* & futuræ disquisitionis κεφάλεια: è quibus (ut conclusione ex principiis in quibus virtualiter continentur,) deducendæ; & ad quas, sicut ad canonem & normam, exigendæ sunt particularium casuum decisiones. His duobus necessario præmissis, quorum ex altero lumen accipiant quæ sunt post dicenda, ex altero robur & firmamentum: tertio demum loco ad dubia illa dissolvenda deveniam, quæ aut nodum aliquem

aliquem vindice dignum in ſe continere, aut piorum hominum mentibus & conſcientiis ſcrupulum injicere poſſe videbuntur. Quæ quum ſit totius negotii præcipua pars, eaque longe diffuſiſſima; conabor univerſam illam caſuum varietatem in certas claſſes redigere; idque ſecundum quatuor Cauſarum genera, quod ad *Obligationis Vinculum* attinet: rejectis in calcem operis, tum quæ ad *vinculi* illius ὁσιότητος *ſolutionem* ſpectant, tum ſi quod aliud aut fuiſſe à me debito loco prætermiſſum deprehendero, aut alias ad vitæ conſcientiæque inſtitutionem poſſe utiliter attexi judicavero.

II. Exhibito hunc in modum ὡς ἐν τύπῳ totius futuræ tractationis diagrammate, rem ipſam nunc tandem aggredior. Ubi primo explicandum occurrit, *quid ſit juramentum.* De voce nulli litem moveo, ſeu quis *Jusjurandum* malit vocari, ſive alia quacunque appellatione. Neque vero opus eſt, ut hac in re vocis alicujus Latinæ, Græcæ, aut Hebrææ vim & originem, vel etiam ὁμοσύνυμίαν, συνωμυμίαν aut παρωμυμίαν operoſius exequar. Efficit enim jurandi paſſim cacoethes, & rei ſanctiſſimæ his tam profanis moribus nimium familiaris abuſus, ut *Quid ſit Nominis* nemini, ne puerulis quidem, poſſit eſſe ignoratum. Rei ipſius definitionem varie (ut fit) authores expreſſere, pro ſuo quiſque ingenio. Breviſſima eſt illa Ciceronis: *Eſt*, inquit, *Jusjurandum affirmatio religioſa.* Quo magis, ut illud obiter dicam, præcoces hujus ævi adoleſcentulos, neſcio quo præjudicii errore, ſed magno ſuo cum damno, Ciceronem ut nimiæ prolixitatis ſcriptorem defugere, & miror & indignor. Sed redeo. Pleniorem Juramenti definitionem ſiquis deſideret, hæc eſto: Juramentum eſt *actus religioſus, in quo ad confirmandam rem dubiam Deus teſtis invocatur.* Hanc definitionem

Cic. lib. 3. Offic.

definitionem membratim per partes explico.

III. Dixi primò, quod sit *Actus Religiosus.* Actus hic ponitur loco generis. Quamvis enim Juramentum sit proprie in Prædicamento *Relationis*: quia tamen respectus ille relativus qui in Juramento est, fundatur in *actione* jurantis, idcirco non incommode per talem actum definitur: siquidem in definiendis Relativis plerunque adhibetur Generis loco aut *Materia*, aut *Fundamentum* illius Relationis. Quod autem sit actus *Religiosus*, constat primo ex authoritate Scripturæ, *Deut.* 6. 13. ubi Moses ita populum alloquitur, *Dominum Deum tuum timebis, & ipsi servies, & per nomen ejus jurabis.* Ex quo loco concludunt uno ore Scholastici Juramentum esse actum (*a*) *cultus* (ut illi vocant) *Latriæ*, i. e. cultus sacri, soli Deo debiti. Constat secundò, ex consensu omnium populorum: apud quos, etsi unius naturæ lumine ducerentur, sanctissima semper est habita Juramenti religio; usq; adeo ut ipsa *Sanctitatis*, *Religionis*, aliaque his cognata vocabula apud rerum Gentilium Scriptores vix ulla alia in re frequentius usurpata occurrant, quam in hac materia Juramentorum: & quum plurima ipsius alia sacra haberentur, Juri-jurando tamen soli, non alia de causa quam quod inter tot sacra sacerrimum quodammodo esset, peculiari quodam jure *Sacramenti* nomen remansit. Unde id nomen effluxit postea in Ecclesiam, nempe ob similitudinem aliquam cum (*b*) militari Romanorum sacramento, ad alia tamen quædam significanda. Quin & Gallis hodie ipsum etiam Juramentum, ex inclinato, ad suæ linguæ formam Latino nomine, pro Sacramento *un Serement* appellatur. Constat *tertiò*, ex evidentissima ratione: quia Juramentum tendit in honorem Dei; per agnitionem Veritatis, Scientiæ, Justitiæ, & Potentiæ divinæ. Etsi enim Juramentum falsum, vel leviter, temere,

a V. Aquin. 2. 2. qu. 89. 4.

b Ὅρκος ἱερὸν στρατιωτικός. Dion. Halicar. lib. 6. *Primum Militiæ vinculum est Religio.* Sen. Epist. 95.

temere, aliáſve indebite ſuſceptum, prodit quidem *ex parte jurantis* irreverentiam quandam vel potius contemptum Dei, & nimis ſapit Atheiſmum: ipſe tamen jurandi actus *ex natura ſua* divini nominis reverentiam includit. Quum enim omne juramentum adhibeatur ad id confirmandum quod à jurante dicitur, & fieri debeat omnis confirmatio per aliquod certius & majoris authoritatis, (ἄνθρωποι γὰρ κατὰ μείζονος ὀμνύουσι, Heb. 6. *Homines per majorem jurant*:) qui jurat, ipſo facto agnoſcit Deum ſe ſuperiorem, ſummæ authoritatis teſtem, infallibilis veritatis, καρδιογνώστην, omniſque perjuri ac falſitatis juſtiſſimum & potentiſſimum vindicem. Eſt ergo Juramentum Actus Religioſus.

IV. Dixi ſecundo, *In quo Deus teſtis invocatur.* Ubi ſunt tria, *Deum* adhiberi & ut *teſtem*, idque per modum *invocationis.* (c) Deus imprimis in omni Juramento advocatur. Quantumvis enim & Ethnicis, & Judæis, & Chriſtianis ſolenne olim fuerit, aut per creaturas jurare, aut ſaltem inter jurandum tacito Dei nomine creaturas ſolum nominare, ut infinitis teſtimoniis è ſcriptura ſacra & aliunde petitis, ſi id opus eſſet, probari poſſet; (quorum utrumque, an & quatenus fieri liceat, diſſerere non eſt præſentis inſtituti:) in omni tamen Juramento, quod quidem eſt proprie & formaliter Juramentum, aut explicite, aut ſaltem implicite Dei teſtimonium adhibetur. Nam & qui per Idola jurat, quæ revera (d) *nihil* ſunt, & (e) *non Deus*, jurat per ea quæ putat eſſe Deos: & qui per aliquam creaturam jurat, id facit aliquo modo in ordine & ratione ad Deum; quia creaturam teſtem advocat tanquam aliquid Dei, in quo ſcil. reſulget Dei veritas, bonitas & potentia, & quo ſe tum agnoſcit per Dei miſericordiam frui, tum nollet per Dei juſtitiam privari. Verbi gratia: ſi quis

c πίστις ἰμμίσου θεοῦ, Nazianz. in defin. *Juramentum Domini.* Exod. 22. 11

d 1. Cor. 8. 4.

e Jerem. 9

quis juret *per vitam, per animam, per caput, per ſalutem ſuam*, &c. perinde eſt ac ſi diceret, (*f*) per illum Deum cui vitam, animam, caput debeo; à quo ſalutem expecto, *&c.* Et per hanc particulam diſtinguitur Juramentum à nuda aſſertione vel promiſſione; quæ ambæ fiunt hominibus ſine aliqua nominis divini aut expreſſa aut tacita interventione. Adhibetur autem Deus *ut teſtis*: & per hoc diſtinguitur Juramentum à Voto. In Voto enim tranſigitur cum Deo ipſo, ut cum Parte, cui Vota immediate nuncupantur: aſt in Juramento tranſigitur cum homine; Deus autem adducitur, non ut *Pars*, ſed ut *Teſtis*. Dixi autem in definitione Deum *Teſtem* ἁπλῶς & præciſe, non autem Judicem aut Vindicem; quod tamen eſt à nonnullis additum: vere quidem, ſed fortaſſis non neceſſario; & abeſſe debet à definitione omne ſuperfluum. Fateor utrumque facere eum qui jurat; *viz.* Deum & *teſtem* adducere veritatis ejus quod dicitur, & *vindicem* falſitatis: ſed illud primario & per ſe, hoc ſecundario & ex conſequenti. Nam ut Deus atteſtetur veritati, pertinet per ſe ad naturam teſtimonii: ſed ut puniat falſitatem, non tam ad naturam ſpectat teſtimonii, quam ad effectum. Sed nec ſatis eſt ad Juramenti rationem, ut Deus teſtis adducatur, niſi & *invocetur*. Poteſt enim Deus ut teſtis adhiberi, idque ad rei dubiæ confirmationem etiam ſine Juramento. Ut ſi ad confirmandam hanc theſin, non eſſe imagines adorandas, adducerem aliquot Scripturæ loca: proculdubio hoc eſſet adducere Dei teſtimonium ad confirmationem rei dubiæ; & tamen proculdubio hoc non eſſet Juramentum. Eſt enim longe aliud *citare Deum teſtem*, reſpectu teſtimonii jam olim exhibiti, quod citra invocationem fieri poteſt: aliud *invocare Deum teſtem*, reſpectu Teſtimonii jam nunc exhibendi, in quo

(*f*) *Qui per Salutem ſuam jurat per Deum jurare videtur: reſpectu enim divini nominis ita jurat.* Ulpian. l. 33. ff. de jurejur.

quo Juramenti quaſi formalis ratio conſiſtit.

V. Dixi tertiò, & eſt ultimum definitionis membrum, invocari Deum teſtem ad hoc, *ut confirmetur res dubia.* Quibus in verbis continetur Juramenti tum *Finis*, tum *Materia* ſive *Objectum.* Juramenti Materia circa quam, ſive Objectum, eſt Res dubia : hoc eſt, cujus certitudo ita pendet ex fide dicentis, ut non poſſit ulla alia ratione commode inveſtigari. Μαρτυρία ϛῆ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου, inquit Philo. Unde primo Scibilia, qualia ſunt *res Univerſales*, quæ certæ ſunt ſemper ſibique ſimiles, nec poſſunt aliter ſe habere ; ſecundo *res particulares* quæ nituntur ſenſuum teſtimonio, aut ſunt ita indubie certa ex monumentis hiſtoriarum traditione univerſali, aut alio publico & ab omni falſi ſuſpicione immuni teſtimonio, ut apud eos qui ſunt ſanæ mentis nullus poſſit eſſe dubitandi locus ; non ſunt idonea Juramenti materia. Quam enim ridiculum foret, & à ſobria ratione alienum, ſiquis juramento confirmare velit Triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, aut Virtutem eſſe propter ſe expetendam, aut Ariſtotelem fuiſſe Philoſophum, vel Ciceronem Oratorem ? Aut ſi adoleſcens diſputans in Scholis, cui propoſitio negata incumberet probanda, deſtitutus argumento, (*a*) juraret eam eſſe veram ? *Res* ergo *particulares*, ut ſunt facta ſingularium hominum cum ſuis circumſtantiis, quæ propter varios caſus & contingentias quibus ſunt obnoxiæ, ita ſunt mutabiles & dubiæ, ut de his nulla poſſit haberi certitudo (*b*) *per demonſtrationem*, aut alia, niſi quæ pendet ex fide humana : ſunt eæ, quibus confirmandis proprie inſervit Juramentum. Quod innuit Apoſtolus, *Heb.* 6. per illud πάσης ἀντιλογίας. Quaſi diceret, Ibi jurijurando locus eſt, ubi *contradicendi* finis nullus eſt ; uno, puta Accuſatore, affirmante ; altero, puta

a *Deriſibile eſſe ſi cuis in diſputatione alicujus ſententia, velit propoſitum per juramentum probari* Aquin. 2. q. 89. 1.

b φύσις ἀναπόδεικτος. *Ariſtot.* 2. Rhet.

puta Reo, negante: niſi interpoſito juramento altera parte contradictionis confirmata, ceſſaret pars altera, & ſic tota lis terminaretur.

VI. Et hæc *Confirmatio* (βεβαίωσιν vocat Apoſtolus (*c*) loco jam dicto,) eſt ipſiſſimus Juramenti Finis. Nam cum res particulares incertæ eſſent & dubiæ ob earum contingentiam, nec poſſent probari niſi per teſtes, eſſet autem humanum omne teſtimonium valde infirmum & fallibile, ex duplici maxime defectu; *Scientiæ*, ſcilicet, (multa enim nos latent,) & *Conſcientiæ* (cum ſit (*d*) *Omnis homo mendax*;) & tamen expediret hominibus, ut de rebus inter ipſos controverſis & mutuo agitatis haberetur aliqua certitudo; qua ſine nulla eſſe inter homines fides aut juſtitia, quæ ſunt firmiſſima vincula humanæ ſocietatis: neceſſe fuit recurrere ad teſtimonium Dei, qui nec fallere poteſt nec falli. Sicque receptum eſt apud omnes gentes, ex inſtituto Dei vi juris naturalis, velut huic malo congruum (*e*) *remedium* Juramentum. Omnium judicio μεγίστη παρ' ἀνθρώποις πίστις, inquit Diodorus Siculus; & Dionyſius Halicarnaſſeus τελευταία πίστις: & utroque elegantius major utroque Apoſtolus πάσης ἀντιλογίας πέρας, *Heb.* 6. Huc ubi ventum eſt, *Ne plus ultra*: ſiſtat ſe oportet omnis humana diſceptatio & contradictio. Non quod omne quod juramento confirmatur ſit ſimpliciter certum, (tum enim nulla eſſent perjuria, quorum heu nimium plena ſunt omnia:) Sed quod in hac mortalium conditione, (ubi perutile viſum eſt divinæ ſapientiæ humanum genus in multa rerum caligine & incertitudine verſari, quo magis ſupernis rebus quæ certiores ſunt animum adjicerent,) nulla poteſt eſſe major fides humana, quam quæ Juramento, per invocationem divini nominis, quaſi de cœlo atteſtata & confirmata eſt.

c Heb. 6. 16.

d Rom. 3. 4.

e *Maximum remedium expediendarum litium*, l. 1. ff. de jurejur. *Maximum dirimendarum cauſarum remedium*, l. 3. Sect. 8. Cod. de jurejur.

VII. in

VII. In hac Juramenti definitione, ita ut audiſtis evoluta, continentur aliquo modo *omnes Juramenti Cauſæ*. Primum illud membrum, quo dicitur eſſe *Actus Religioſus* ; ejus nimirum qui jurat, neceſſario includit Agentis, hoc eſt Jurantis Voluntatem (cum ſit omnis homo agens liberum, & actus humanus omnis Voluntarius) ut cauſam *Efficientem* primariam. Secundum Membrum exprimit *Formale* Juramenti, quod eſt divini nominis atteſtatio, ſive *Dei ut teſtis Invocatio.* Tertium membrum reliquam utramque cauſam complectitur : Materiam ſcil. & Finem. Eſt enim propria Juramenti *Materia circa quam* verſatur *Res dubia* ; cujus ſcil. ex nudo dicentis teſtimonio apud eum quicum agitur non eſt ſatis firma fides : & proprius Juramenti *Finis*, ut ex invocato Dei teſtimonio res dubia habeat eam *certitudinem*, qua circa res humanas contingentes nulla poteſt eſſe major. Hoc eo dixi, Auditores, quo excuſatior apud vos eſſet hæc mea in explicanda Juramenti definitione prolixitas. Siquidem, ubi ad caſus dubios ſtatuminandos Deo volente pervenero, quod me facturum pollicitus ſum per reſpectum ad *quatuor cauſarum genera* : tum demum vos omnes non dubito facile perſpecturos, quam ſtudioſis utile fuerit, quam inſtituto meo conducibile, iſta quæ ſunt à me de Juramenti natura paulo explicatius dicta, præcognita habuiſſe.

VIII. Sed de Juramento in genere hactenus : explicandum proxime, ſed paucioribus, quid in ſpecie ſit *Juramentum Promiſſorium.* Variæ extant apud Theologos & Jureconſultos, pro diverſo reſpectu, Juramentorum ſeu diviſiones, ſex diſtinctiones. Dividitur aliàs in Judiciale, & extrajudiciale : aliàs in Publicum, & privatum : in ſimplex, & Solenne : in Nudum, & Execratorium : in Abſolutum, & conditionale ; & aliàs aliter. Sed

nobiliſſima

nobiliſſima omnium, nec ulli eorum qui de Juramentis ſcripſere (quod ſciam) prætermiſſa, ea eſt qua diſtinguitur in *Aſſertorium*, & *Promiſſorium*. Quum enim in omni Juramento, ut ante dictum eſt, aſſumatur à jurante nomen Dei per modum invocationis in teſtimonium rei alicujus dubiæ: advertendum eſt id poſſe contingere tribus modis. Poteſt enim res aliqua in dubium vocari, vel *de præterito*, Itane fuerit, vel non fuerit: ut, Vidiſtine herì Caium in foro, vel non vidiſti? Vel de *præſenti*, Itane ſit, vel non ſit: ut, Habeſne pecunias quas apud te depoſui, vel non habes? Vel denique *de futuro*, Itane futurum ſit, vel non: ut Dabiſne mihi cras mutuo centum, vel non dabis? Quoties ergo adhibito Juramento Deus advocatur in teſtimonium rei præteritæ, vel præſentis, dici ſolet ejuſmodi *Juramentum Aſſertorium*: quia jurans ſine ulla in futurum ſponſione, aſſerit tantum rem ita eſſe vel fuiſſe ſicut ipſe tunc jurat. Quod ſi Deus interpoſito juramento invocetur in teſtimonium rei futuræ, dicitur id *Juramentum Promiſſorium*: quia jurans pollicetur ſe aliquid in poſterum facturum vel non facturum. Aſſertorii uſus præcipuus eſt in judiciis, ad lites terminandas maxime in Quæſtione facti: Promiſſorii exiguus uſus eſt in judiciis; ſed in Promiſſis, pactionibus & contractibus plurimus. Extant hujus generis juramenti multa in Hiſtoria Sacra, & alibi paſſim, exempla. Jurat (*f*) pie *Abrahæ ſervus*, ſe Domini mandata in aſſumenda herili filio uxore fideliter obſervaturum. Jurant, ſed incaute (*g*) *Joſue* & ivri Principes populi Iſraelitici fœdus cum Gabaonitis. Juravit (*h*) *Rex Herodes*, ſed perquam temere, filiæ Herodiadis daturum ſe quicquid poſtularet.

f Gen. 24. 9.
g Joſ. 9. 15.
h Mat 14 7.

IX. Advertendum eſt ulterius, ſed Juramenti Promiſſorii appellatione comprehendi & *Comminatorium*;

natorium : quale fuit illud (*i*) Davidis de perdendo Nabale temerarium Juramentum ; & impium illud quorundam (*k*) *Judæorum* Zelotarum, quo ſe devoverunt nihil guſtaturos, donec occidiſſent Paulum. Hæc, & alia id genus, non ſunt proprie *Promiſſiones* : quæ vox potius rem alteri gratam ſignificare videtur : Sed per Synecdochen quandam cum Catachreſi conjunctam, (cum alias familiare apud bonos authores, tum præſertim in his dictionibus quæ futurum aliquod ſpectant, ut *Sperare* pro *Timere*, & ſimilibus) extendi poteſt Metaleptice *Promiſſionis* nomen & ad *Comminationes*. Ita Dei juramentum illud, quo (*l*) *juravit in ira ſua*, Iſraelitas qui ipſum variis provocationibus tentaverant in eremo non ingreſſuros in requiem ſuam, non minus promiſſorium dici poteſt & ſolet, (etſi minus proprie) quam illud ejuſdem quo (*m*) *Juraverit patribus eorum* ſe daturum eis terram Chananæorum in hæreditatem.

i 1 Sam. 25. 22.
k Act. 23. 12.
l Pſal. 95. ult.
m Deut. 1. 8.

X. Neque vero, quod ad Juramenti Promiſſorii rationem aut effectum attinet, quicquam omnino intereſt *nude* proferatur Juramentum, an *cum adjecta execratione*. Etſi enim ſint è Scholaſticorum grege, quibus videtur Juramentum illud, quod fit per *ſimplicem conteſtationem*, ſpecie differre ab eo quod fit per *adjunctam inſuper execrationem* ; ea ratione adducti, quod in illo Deus advocetur ſolum *ut Teſtis* ; in hoc etiam *ut Judex* : tamen ſi rem attentius conſideremus, ex ante dictis facile conſtat utrumvis fiat, perinde eſſe. Omne enim Juramentum, quocunque modo prolatum, ſive *nude* ſive *execratorie* , aut expreſſe, aut ſaltem implicite, Deum & *ut Teſtem* invocat, & *ut Judicem* : ſed ut *Teſtem*, primario & per ſe ; ut *Judicem*, ſecundario & conſequenter : & eſt ea forma Juramenti explicatiſſima, cum explicite & Deus adducitur teſtis, & execratio vel impreca-

tio attexitur : ut ſiquis ſic juraret. *Deum Teſtor qui me perdat ni fecero*, me hoc vel illud facturum. Sed plerunque fit, ut omiſſa nunc hac, nunc illa parte, contractius juretur : ut ex illis exemplis Sacræ Scripturæ, in quibus Deus pro more humano jurans inducitur, ſatis manifeſtum eſt. Ubi Deum jurantem reperire eſt, modo per ſimplicem atteſtationem ſine ulla execratione ; qualia ſunt illa, (*l*) *Vivo ego, dicit Dominus*, (*m*) *Per memetipſum juravi*, (*n*) *Per ſanctitatem meam*, &c. modo ſine aliqua expreſſa atteſtatione per ſolam execrationem, ſed & illam (ob honorem & *reverentiam* tantæ Majeſtatis, atque etiam pro more hominum verba (*o*) *mali ominis* per apoſiopeſin fere reticentium,) elliptice & diminute enunciatam, in particulis לֹא & אִם involutam & ſubauditum ; ut in illo Pſalmi, אִם יָבֹאוּן (*p*) *Juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Illud interim videtur eſſe certum, omne juramentum promiſſorium, quacunque forma concipiatur, explicatiore vel contractiore, modo ſit *Juramentum* & non mera *Aſſeveratio* vel *Obteſtatio*, utramque virtualiter continere ; Atteſtationem ſcil. & Execrationem. Nam, in Juramento & *Execratio* ſupponit Atteſtationem, ut quid ſibi natura prius : & *Atteſtatio* ſubinfert Execrationem, ut ſuum neceſſarium conſequens. Scitum eſt illud Plutarchi, (*b*) πᾶς ὁρκος εἰς κολάσεων πολλῶν ἀπειλάς. Et hæc de Juramenti promiſſorii natura ſufficiant.

XI. Reliquum eſt, ut de *Obligationis* etiam natura & vi aliquid ultimo demum loco attexam. De Obligationibus multa & ſatis prolixe Juriſconſulti : Definiunt autem illi Obligationem, quod ſit *vinculum juris, quo quis aſtringitur ad ſolvendum id quod debet.* Quæ definitio non minus commoda erit iis rebus explicandis quæ pertinent ad forum

l Ez k. 14. 16, 18, &c.
m Gen. 22. 16.
n Pſal 89. 35.
o μὰ τὸν Ἀριστοφ. in Ran. 5. 2. Ubi Scholiaſtes ὁ ἐκλιπὼν ἐμνύει, καὶ ἔστιν ὅτε ἀφελόμενος, ἀντὶ τοῦ προσθεὶς τὸν θεὸν ἀλλὰ ἐκεῖνα μὲν ἀποδοὺς τὰ τοιαῦτα ὄκνου χάριν, ὑποστέλλομενος. Et, male ominatis parcite verbis Horat. 3 carm. 14 *Hinc formula.* Εὐφημεῖτε, Bona verba, &c.
p Pſal. 95. ult.
q Plutarc. in Roman. quæſt. 44.

rum internum Conſcientiæ, quam illis quæ verſantur in foro externo Eccleſiæ aut Reipublicæ: ſi Juris vocabulum non contrahatur ad *Jus Humanum* poſitivum, ſed ita extendatur, ut univerſum etiam *Jus Divinum* & Naturale complectatur. Quum autem, ut ex ipſa illa definitione colligitur, vinculum omne obligatorium ex aliquo jure originem ducat: quemadmodum duplex eſt *Jus*, alterum divinum & naturale, civile & humanum alterum; ita duplex eſt *vinculum* ſive *obligatio* inde conſurgens. *Vinculum* ſcilicet *Naturale*, quod obligat naturaliter & in foro externo, ex vi legis divinæ: & *Vinculum Civile*, quod obligat civiliter & in foro interno, ex vi legis humanæ. Illud nonnulli *Æquitatis Obligationem* vocant; hoc *Obligationem Juſtitiæ*. Sive id illi commode loquantur, ſive incommode, non diſputo: nam ubi convenit de re, quid opus eſt de verbis contendere? Sed quod iidem illi tertium addunt Obligationis genus, quod ſit ex utroque priore mixtum: id certe aut parum commode faciunt, aut ſaltem minus neceſſario. Nam ſi quis ad idem officium præſtandum, (ut, exempli gratia, ad alendum parentes in ſenectute & lege naturali, & lege civili teneretur: non hoc eſſet nova Obligationis ſpecies ex utraque miſta, ſed potius *duæ obligationes*; conjunctæ quidem *Subjecto* ſimul & *Objecto*, (*Subjecto*, in quantum obligant eandem perſonam; & *Objecto*, in quantum obligant ad idem officium) natura tamen & origine diſtincta. Ratio manifeſta. Plures enim res non poſſunt producere ex miſtione ſui novam ſpeciem, niſi cum aliqua ſui immutatione reali. Unde (*r*) Ariſtoteles *miſtionem* definit *miſcibilium alteratorium unionem*. Oportet enim eſſe in omni miſtione alterationem; & omnis alteratio eſt mutatio realis: ut patet in generatione miſti ex quatuor elementis, non integris,

(*r*) De Gen. & Corr. 1. tex. ult.

ſed refractis & alteratis. Aſt ubi accedit priori obligationi obligatio nova, ut in præſenti negotio civilis naturali, nulla fit realis mutatio utriuſve: ſed prior illa obligatio manet in eodem omnino ſtatu in quo fuit ante acceſſionem novæ poſterioris. Sed nolo his ſubtilitatibus diutius immorari. *Obligationem* in hac juramenti materia *Naturalem* ſive *Moralem* vel ſolum vel præcipue intelligimus: Juriſconſultis illam alteram *Civilem* relinquimus

XII. Præter illam Obligationis diſtinctionem ex *Origine* natam, per reſpectum ad *Jus* unde oritur obligatio: eſt & alia ab *Objecto* ſumpta, per reſpectum ſcil. ad *Debitum* ſolvendum, quo tendit & in quod fertur Obligatio. Duplex autem eſt Debitum. *Debitum Officii*, quod quis ex præcepto juris tenetur facere: & *Debitum ſupplicii*, quod quis ex ſanctione juris tenetur pati, ſi officium ſuum neglexerit. Priori ſenſu dicimus mutua charitatis officia eſſe debita, quia Lex Dei illa præcipit, juxta illud, *Rom.* 13. 8. (*s*) *Nihil cuiquam debete, niſi ut diligatis invicem.* Poſteriori ſenſu dicimus Peccata eſſe debita, ut in oratione Dominica, (*t*) *Dimitte nobis debita noſtra*: & mortem æternam eſſe debitam, juxta illud, *Rom.* 6 23. (*u*) *Stipendium peccati mors.* Obſervandum tamen debitum poſterius contrahi ex inſoluto priori: ita ut ſiquis *Debitum Officii* plenarie diſſolveret, faciendo id quod Lex imperat, non teneretur aliquo *debito ſupplicii* ad patiendum id quod Lex minatur. Reſpondet duplici huic *Debito* duplex item *Obligatio*, ejuſdem plane denominationis: Obligatio ſcil. *ad Officium* faciendum, & Obligatio *ad Supplicium* perferendum; vel quod communiter dicitur & eodem recidit, Obligatio *ad Culpam*, & Obligatio *ad Pœnam.* Ita tamen ut illa ſit prior & potior, ſicut natura ſua, ſic & intentione Juris.

s Rom. 13. 8.

t Mat. 6. 12.

u Rom. 6. 23.

Tyrannidis

Tyrannidis enim eſt, non juris, pœnam intendere aliter quam in ordine ad culpam : & verum eſt illud Apoſtoli dictum etiam in hoc ſenſu, etſi fortaſſis alio rectius intelligendum, (x) *Lex Juſto non eſt poſita.* Intendit ergo Lex primario, directe, per ſe, & ἁπλῶς, obligare ad officium & obedientiam : ad ſupplicium autem & pœnam non obligat niſi ſecundario, indirecte, conſequenter, & ex hypotheſi ; ſuppoſito ſcil. officii aut contemptu aut neglectu. Utramque hanc obligationem conjunxiſſe videtur Apoſtolus, *Rom.* 13. ubi agit de ſubjectione Supremæ poteſtati debita : (y) *Neceſſe eſt*, inquit, *ſubjici, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam.* E quibus verbis tria colligo ad præſens inſtitutum pertinentia. Primum, duplici vinculo poſſe nos obligari ad idem præſtandum ; vinculo officii, & vinculo ſupplicii : hoc enim volunt illa, διὰ τὴν συνείδησιν, & διὰ τὴν ὀργήν. *alterum*, priorem & potiorem apud omnes pios eſſe debere officii conſcientiam, quam ſupplicii metum. *Tertium*, ex debito officii præciſe exurgere obligationem conſcientiæ. Unde etiam manifeſtum eſt, nos, cum *de Juramenti Obligatione* loquimur, quatenus conſcientiæ res eſt, Obligationem illam intelligere primario & potiſſimum, qua tenemur officium præſtare ; non eam, qua tenemur pœnam perjurio debitam ſuſtinere.

(x) 1 Tim. 1. 9.

(y) Rom. 13. 5.

XIII. Poſitis duabus his Obligationum diſtinctionibus, illud porro ſciendum eſt, Juramentum omne ex ſua natura eſſe obligatorium. Ita ut ſi quis juret, non intendens ſe obligare, imo etiamſi juraret intendens ſe non obligare, nihilominus tamen ſuſcipiendo juramentum ipſo facto obligetur : ut poſthac ſuo loco (ſi Deo volente eo pervenero) plenius oſtendam : Recte Cicero, *Nullum vinculum ad aſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt.* Sed quid dilu-

Cic. 3. Off.

cidius hanc in rem dici potuit, quam quod eſt à Moſe dictum in ipſo textu? *Cum vir voverit votum, vel juraverit juramentum,* לאסר אסר על נפשו, *ligando ligamen ſuper animam ſuam.* Ubi geminatio illa ex Hebræorum idiotiſmo plurimam habet emphaſin, & auget ſignificationem vocis. Gen 22. 16. Ut *multiplicans multiplicabo*, & *benedicens benedicam*, id eſt, valde multiplicabo, valde benedicam, *&c.* ſic *ligando ligamen*, id eſt, valde ligando. Quaſi diceret, Etſi promiſſio vel nuda obliget conſcientiam, addita etiam aſſeveratione aut obteſtatione, fortius adhuc obliget: omnium tamen fortiſſime obligat *votum*, quod ipſi Deo nuncupatur, & *Juramentum* quod homini, ſed Deo tamen teſte, præſtatur. Obligat ergo omne Juramentum Conſcientiam; tam *Aſſertorium quam Promiſſorium.* De Promiſſorio, quandoquidem tempus futurum reſpicit, nulli poteſt eſſe dubium: ſed de Aſſertorio fortaſſis non ſine ratione dubitari poſſet ex eo, quod omnis Obligatio eſt ad aliquod futurum; dictum autem ſit prius Aſſertorii juramenti à Promiſſorio diſcrimen in hoc conſiſtere, quod illud rem præſentem vel præteritam reſpiceret, hoc futuram. Sed facilis eſt ſolutio. Nimirum juramenti qua tale Obligatio non cadit primario *ſuper Objectum*, ſive materiam juramenti; ſic enim Aſſertorium juramentum, cujus objectum eſt res præterita aut præſens, non poſſet obligationem de futuro inducere: ſed obligatio cadit immediate & directe *ſuper Subjectum*, hoc eſt, conſcientiam jurantis, qui in utraque Juramenti ſpecie tenetur ad aliquod officium de futuro præſtandum.

XIV. Quod ut manifeſtius fiat, ſimulque liquido conſtet, (quod explicandum ſuſcepi) quæ ſit juramenti promiſſorii obligatio: oſtendam ut potero utrique Juramenti ſpeciei quid ſit commune, quantum ad obligationis effectum; & quid ſit

Promiſſorio

Promiſſorio Juramento peculiare. Concedendum autem eſt imprimis, quod eſt ex ſe ita evidens, ut ejus contradictorium manifeſtam implicet contradictionem, Obligationem omnem ad officium reſpicere officium *de futuro* præſtandum; hoc eſt, aliquanto ſaltem tempore, etſi fortaſſis minutiſſimo, poſt contractam obligationem. Neque eſt obſervatu difficile, rem attentius paulo conſideranti, hoc in omni Juramento tam Aſſertorio quam Promiſſorio contingere. Obligat enim ſe quiſquis jurat ipſo facto πρὸς τὸ ἀληθεύειν, hoc eſt, ad manifeſtandam veritatem in eo quod dicturus eſt, ſive illud ſit de re præterita aut præſenti in Aſſertorio, ſive de re futura in Promiſſorio Juramento. Et eſt iſta obligatio hactenus utrique ſpeciei pariter communis: ita ut in utravis, ſi jurantis verba animo non congruant, violati officii *culpæ* reus ſit, & inde per neceſſariam conſequentiam etiam & pœnæ. Sed in Juramento Promiſſorio, præter hanc obligationem quæ cadit *ſuper Conſcientiam Juramentis*, & eſt ipſi cum Aſſertorio communis, quatenus eſt *Juramentum*; eſt & alia ulterior obligatio, ipſi propria & peculiaris, quatenus *Promiſſorium* eſt, quæ cadit *ſuper Materiam Juramenti*; Cujus virtute tenetur promiſſorie jurans, non ſolum *intendere* de præſenti id facere quod juravit, quod eſt τὸ ἀληθεύειν, ut ſcil. *verba animo congruant*: ſed etiam *conari* de futuro (quantum in ipſo eſt) id implere quod juravit, ut *facta verbis congruant.* Hoc eſt, non modo obligat ſe *ad id ſolum promittendum* quod revera intendit: ſed etiam ultra obligat ſe *ad id omne faciendum* quod jurando promiſit. Quod vel ipſa verba Moſis in hoc verſu clare oſtendunt: *Vir*, inquit, *qui juraverit juramentum ligando ligamen ſuper animam ſuam, ſecundum omne quod egreſſum eſt ex*

ore suo faciet. Atque ita quam debui plene, & quam potui dilucide, exposui vobis sensum meum de primo capite hujus tractationis; Quid Juramentum, Quid Promissorium, & Quid Obligatio. Pergam reliqua, quo ordine proposui, proxima prælectione (Deo volente) persequi.

PRÆ-

PRÆLECTIO SECUNDA.

SUMMARIUM.

1. *Præmonitio de Stylo.*
2. Hypoth. 1. *Juramentum decet ante omnia ſimplicitas.*
3. *Repugnat Simplicitati dolus malus, ſive ſimulatio.*
4, 5, 6, 7. *Simulatione non vitatur perjurium.*
8. Hypoth. 2. *Juramentum eſt ſtricte juris.*
9. *Juramentum non nimis laxe interpretandum.*
10. *In juramento conditiones communiter ſubintelligendæ.*
11. Hypoth. 3. *Juramentum non tollit Obligationem priorem.*
12. Hypoth. 4. *Rei impoſſibilis nulla Obligatio.*
13. Hypoth. 5. *Rei illicitæ nulla Obligatio.*
14. *Juramenti illiciti, & Juramenti de re illicita diſcrimen.*

SECT. I.

EXpoſito ſuperiore Lectione quid *Juramentum* in genere, quid in ſpecie *Promiſſorium Juramentum*, & quid *Obligatio*: pergendum nunc porro ad proponendum, quod proxime pollicitus ſum, quaſdam ὑποθέσεις ſive *Hypotheſes* inſtituto noſtro accommodas, velut fundamento, aut (ſi malitis) Canones & κεφάλαια totius futuræ diſquiſitionis: è quibus ſcilicet petendæ ſunt, & ad quas exigendæ, plerorumque

rumque dubiorum determinationes. Sed unum vos interim, antequam id faciam, non jam exoratum eo, (quod facerem ſi aut ſuſpecta mihi eſſet veſtra humanitas, aut res ipſa non eſſet multo juſtiſſima:) ſed præmonitos tantum velim; mihi conſtitutum eſſe, dum reperiam quod rei de qua agitur utcunque ſignificandæ ſufficiat, de verbis non ultra laborare, multo minus de ſermonis puritate, nedum elegantia ſolicitum eſſe. Curent iſta ſcilicet, quibus vacat, & cordi eſt, negotium faceſſere ſibi non neceſſarium. Repetere ſoleo cum amicis non ſine aliquo *riſuque jocoque*, quantum ſudarit, ut tandem ineptiret magis, vir alias ſane non ineruditus, *Paulus Corteſius*: Qui dum, poſt Thomam & Scotum & complures alios meditatur in quatuor libros Sententiarum commentarios, pertæſus ſcil. voces in Scholis receptas, ut minus Ciceronianas, pro Eccleſia (delicias hominis!) maluit ubique *Senatum* dicere, pro Legibus Eccleſiaſticis *Senatus-Conſulta*, pro Prædeſtinatione *Præſignationem*, pro Sacerdotum Ordinatione *Initiationem*, pro Angelis *Genios*, pro Epiſcopis *Flamines*, & alia paſſim ad eundem modum plurima. Quo eodem morbo laboraſſe invenio & alios quoſdam, ut *Petrum Bembum* Cardinalem, & *Sebaſtianum Caſtalionem*: ſed eos & paucos admodum, & aliquanto temperatius. At nobis non libet, nobis non licet eſſe tam diſertis. *Oratori* condonabitur, imo laudi erit, ſi ſit verborum paulo deligentior: cujus inter virtutes eſt, non apte modo & dilucide, ſed etiam pure & ornate dicere; quemque non dedecebit floridius quandoque & picturatius incedere. Aſt *Philoſophum*, aut *Theologum*, præſertim in Scholaſticis meditationibus & nodis Controverſiarum, tam decet compta & ornata oratio, quam bovem aratorem bullatæ phaleræ. Materia in qua operam ſumimus, doceri contenta,

tenta, non poſtulat ornatum; ſed nec patitur. Nimirum non eſt idem *in Roſtris* & *in Scholis* verſari: & aliud longe eſt liberiore campo frui, in quo cum copia quadam & ubertate exultare poſſit oratio; aliud ſpinas inter & vepreta impeditum teneri, unde ſe quoviſmodo expedire ſine ſanguine & vulnere opimus eſt triumphus. Sed quid ego iſta tam operoſe? Si vocibus & locutionibus in hoc tractandi genere receptis paſſim utar, quod eſt omnino faciendum: quin ſit ea res veniam apud vos habitura nullus dubito; verendum magis ut ſit habitura hæc tam prolixa defenſio. Deſino itaque orare; & ad *Hypotheſes* feſtino.

II. Quarum eſto Prima, *Juramentum ante omnia decet ſimplicitas.* Hoc eſt, Ea eſt Juramenti natura & obligatio, ut quiſquis ſe ad aliquid faciendum tam ſacro vinculo obſtrinxerit, Juramenti Religione omnino teneatur, & ex animo ſerio intendere, &, quantum in ipſo eſt, ſedulo conari, id omne facere bona fide quod ſe facturum promiſit, ſine omni aſtu, fraude, dolove malo aut ſimulatione. Recte, ut pleraque omnia, in hoc genere Cicero. *Quod affirmate, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt.* Secus qui fecerit, nec curaverit id re ipſa præſtare ad quod ſe jurejurando obligavit, eum hic Moſes cenſet *polluiſſe verbum ſuum*: hoc eſt, rem ſacram nec temere prophanandam fœde & indigne conſpurcaſſe, & perjurii reum eſſe, aut aperti aut palliati. Cum enim tradantur fere tria perjuriorum genera, quorum primum eſt Aſſertorio Juramentorum generi pene peculiare, viz. cum quis jurat aliquid eſſe verum, quod aut falſum eſſe putat, aut ſaltem ſit necne verum dubitat; reliqua duo ad promiſſorium hoc genus pertinent; *Secundum* nimirum, cum quis jurando promittit quod nec intendit implere; & *Tertium* cum,

Lib. 3. Offic.

cum non ſtudet implere quod promiſerat & intenderat: non ſane multum refert, quod quidem ad Perjurii rationem attinet, maxime in foro conſcientiæ, apertene aliquod trium fiat & γνώμῃ τῇ καρδίᾳ, an ſimulate & ἐν ὑποκρίσει. Scilicet eſt illud prophani cordis indicium; hoc doloſi: quorum utrumque, niſi ſit (*a*) *fraus odio digna majore*, pariter (*b*) abominatur ſanctiſſimus ille Deus, qui amat *ſimplices corde*, & diligit (*c*) *veritatem in intimis*; (*d*) *declinantes autem in perverſitates ſuas*, id eſt, hypocritas & doloſos, *facit ambulare cum operantibus iniquitatem*, id eſt, pariter habet cum palam impiis & facinoroſis.

a Cic. 1. Offic.

b Ψεῦδος μισεῖ μεν ἐν ψυχῇ, μισῶ δ' ἀνεπίπληκτον, ὅταν τι κιβδηλον, γιγνόμενον ἀκουσίως, μήτε λόγῳ, μήτε ἔργῳ προσχρῆται, ὁ μὲν ἀκούσιος ἰσοῦται μόνον. Plat. de legib. 11.

c Pſal. 15. 6.

d Pſal. 125. ult.

e Pſal. 24. 3, 4.

III. Pugnat cum hac Juramenti ſimplicitate duplex *Simulationis* genus: alterum *à parte ante*, quod ad actum jurandi aut antecedenter ſe habet aut concomitanter; *à parte poſt* alterum, quod conſequenter: quorum illud etſi deterius ſit, neutrum tamen perjurio vacat. Utrumque complexus videtur David, locis diverſis, ſed propemodum parallelis; Pſalmis viz. decimo quinto & viceſimo quarto. Quorum in altero, illi quæſtioni (*e*) *Quis aſcendet in montem Domini*? inter alia reſpondetur, *Qui non juravit in dolo* (לִרְמָה) id eſt, qui non juravit cum animo fallendi: ubi excluditur omnis ſimulatio *à parte ante*, ipſo ſcil. tempore, & inter ipſum factum jurandi. In altero, conſimili quæſtioni, *Quis habitabit in tabernaculo Domini* &c. inter alia reſpondetur non multum diſſimiliter, *Qui juravit in malum*, (לְרַע) *& non mutavit*; id eſt, qui poſtquam ſe juramento obligavit, maluit vel cum magno ſuo damno præſtare quod incommode juravit, quam alicujus temporalis commodi intuitu datam fidem violare: ubi excluditur omnis ſimulatio *à parte poſt*. Iſta mihi aut non cogitare videntur, aut non ſerio, eorum qui nunc ſunt hominum

Pſal. 15. 14

pleraque

pleraque pars: qui in omne illud quodcunque denum fuerit, quod eſt ab his quibus nocendi poteſtas eſt propoſitum, ſine ulla ambage prolixe & conceptis verbis jurare non verentur: quin ſibi potius ſoli ſapere videntur, ridentque non ſine aliquo faſtu eorum ſimplicitatem & inanem metum, qui ne conſcientiam lædant, nodum in ſcirpo quærunt ſcilicet, & perſcriptas ab iis qui præſcribere poſſunt formulas ſolicitant. Securi interim ſe ab omni perjurii crimine metuque liberant, ſibique & conſcientiæ ſuæ egregie conſultum exiſtimant, ſi vel inter jurandum, Jeſuitarum more, tacitæ alicujus æquivocationis aut mentalis reſervationis, aut ſubtilis coactive & à verbis prorſus alieni interpretamenti adminiculo ſe quoquo modo tueri utcunque poſſint; vel etiam poſtquam juraverint, rimam qua elabantur, artificioſam aliquam evaſionem reperire queant, velut σοφὸν φάρμακον, quo juramento ſic fraus fiat, ut ſalvis verbis ſententia tamen ſophiſmate aliquo eludatur, & vis ejus omnis penitus enervetur. Non agnoverunt hanc *Theologiam* veteres Chriſtiani: non hanc *morum Philoſophiam* ſaniores Ethnici. Multo aliter ex illis Auguſtinus, *Perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum quibus juratum eſt deceperunt.* Aliter & ex his Cicero, (*h*) *Quod ita juratum eſt, ut mens deferentis conciperet fieri oportere,* de Offic. *id ſervandum eſt.* (*h*) Lib 3.

IV. Sed ne aut declamare videar, aut authoritate ſola pugnare: confirmabo aliquot rationibus, neutra ſimulatione tolli Perjurium. *Ratio prima.* Ex permultis illis Scripturæ locis, in quibus *cordis ſimplicitas,* cum in omni cultu Dei & officiis vitæ communis, tum vel maxime in contractibus, promiſſis, votis, & juramentis exigitur. Ut alia mittam, in textu propoſito diſertis verbis requiritur ab homine jurante, ut omnino faciat ſecundum id quod

quod egreſſum eſt ex ore ſuo, *ut omnino faciat*, id eſt, ut & tunc temporis bona fide intendat facere, & poſtea bona fide quantum in ipſo eſt conetur facere; *ſecundum id quod egreſſum eſt ex ore ſuo*, id eſt, ſecundum eum ſenſum quem verba ab ipſo prolata juxta communem & receptum morem loquendi apta ſunt ingenerare in mente audientium, & non ſecundum eum ſenſum, quem ipſe fortaſſis inter jurandum intra ſemetipſum tacita mentis cogitatione reſervatum doloſe intendit. Quo facit illud quod ex Iſidoro ſolet afferri (*i*) *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt; ita hoc accipit, ſicut ille cui juratur intelligit.* Neque etiam ſecundum eum ſenſum, quem juratus, poſtquam cœpit eum facti pœnitere, de novo tandem comminiſcitur ἀφοσιώσεως χάριν, ſeu *dicis cauſa*, ut loquuntur; non ut integre & ſincere exolvat ſicut debet Sacramenti fidem, ſed ut ſibi aliiſque videatur quoquo modo officio functum eſſe, & perjurii crimen iſthoc artificio caute & provide admodum declinaſſe.

i Lib. 2. ſent. & habetur 21. qu. 5. c. quacunque.

V. *Ratio ſecunda.* Ab exemplo ipſius Dei: quem ſcribit Apoſtolus, *Heb.* 6. ea ipſa de cauſa promiſſiones ſuas fidelibus factas jurejurando confirmatas eſſe voluiſſe, ut (*k*) περισσότερον *abundantius*, id eſt, quam fieri poteſt cumulatiſſime, & ita ut nullus poſſet eſſe ultra dubitandi locus, teſtatum ipſis faceret τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, quam *immutabile eſſet conſilium ipſius*, in eo præſtando quod ſe juraviſſet præſtiturum: atque hoc omne eo fine, ut haberent credituri in ipſum ἰσχυρὰν παράκλησιν, *validam conſolationem*, ſpem firmam. Quam tamen non haberent, ſi in his quæ jurando promiſit, poſſibile eſſet ψεύσασθαι θεόν, id eſt (ut (*l*) docti vim ejus vocis exprimunt) ſi *fallere* poſſet Deus eos quibus juravit, fruſtrando ipſorum

k Heb. 16. 17. 18.

l V. Grot. 2. de jur. bell. 13.

ipſorum expectationem. Falleret autem, & fruſtraret credentium ſpem, & ex ſpe conſolationem, ſi, aut cum juraret non intenderet facere quod promiſit, aut mutato poſtmodum conſilio idipſum debito tempore non præſtaret, idque *eo ipſo ſenſu* quo ab eis promiſſiones illas par erat juxta verborum tenorem intelligi. *Juravit* (m) *Deus, & non pœnitebit eum. Juravit Dominus* (n) *Davidi veritatem, nec diſcedet ab ea.*

m Pſal. 110. 4.
n Pſal. 132. 11.

VI. *Ratio tertia.* Ex natura Veritatis: quæ prima eſt & potiſſima è tribus illis decantatiſſimis Juramenti conditionibus, quæ extant apud Jeremiam (*o*) Prophetam, & ab omnibus inculcantur, & à Scholaſticis *Tres juramenti comites* appellantur; *Veritas* ſcil. *Judicium*, & *Juſtitia*. Cui *Veritati* repugnat, non modo quod falſum eſt, ſed & quod falſum eſt: nec mendacium ſolum apertum & nudum, ſed opertum quoque & qualitercunque palliatum. Polluit certe verbum ſuum mendacio, quicunque falſum dixerit proximo ſuo, & falſum ſe dixiſſe putandus eſt proximo ſuo, per quem ſtetit ut falſus eſſet proximus ſuus ea ſpe, quam ex dictis ipſius rationabiliter conceperat. Quum ergo per iſtiuſmodi utriuſve generis ſimulationem non evitatur *Mendacium*, dummodo id noſtra culpa fiat ut decipiatur proximus adhibendo fidem dictis noſtris: certe nec *Perjurium* evitatur, ſi noſtra culpa decipiatur adhibendo fidem Juramento noſtro: Siquidem nihil aliud eſt *Perjurium*, quam *Mendacium juramento firmatum*. Ita ut omnino idem ſit accedente juramento *Perjurium*, quod eſt in nuda pollicitatione *Mendacium*.

o Jer. 4. 2.

VII. *Ratio Quarta.* A fine Juramenti proprio: hui, ut ex antedictis cum explicaremus Juramenti definitionem ſatis patuit, eſt **rei dubiæ confirmatio*; nempe ut habeatur, de rebus alias incertis & ex humana fide pendentibus, certitudo quantum

* *V. tract. 1. num. 6.*

quantum expedit rebus humanis. Eſt enim Juramentum à Deo inſtitutum vi luminis naturalis, in remedium defectuum humanorum circa veritatem : ut eſſet tuendæ veritatis ultimum inter mortales, præſidium, quoties omnia alia probationum genera deficiunt. Everteretur autem omnino hic finis, nec poſſit ulla eſſe apud homines certa fides, ſi liberum eſſet juranti pro ſuo arbitrio, quod verbis enunciat ad fidem faciendam; id aut tacita aliqua ambiguitate inter jurandum, aut poſtquam juraverit exquiſito aliquo novo & quaſi poſthumo commento ita ſubnervare, ut vim ſuam omnem amittat, & effectu penitus careat. Horum alterum ſi liceret, non eſſet juramentum [1] ἀντιλογίας πέρας, ſed ἀρχὴ ; & anſam novis contradictionibus & litibus præberet, potius quam ſederet veteres. Hæc aperta ſemel teneſtra ; quid cogitari poſſit tam falſum, pro quo tuendo non poſſit excogitari aliquod ſaltem effugium aut diverticulum, quo à mendacio liberaretur ? Interim quantæ perverſitatis eſt, ut quod eſt à ſapientiſſimo Deo in *ſubſidium fidei* inſtitutum, id ab improbis hominibus verteretur in *inſtrumentum fallendi* : [2] πρὸς ἀπάτην ὄρκῳ σοφίσης δοὺν ἀξιόχρεως. Profecto, niſi quis ſacro Dei inſtituto aliorſum uti maluerit, quam in eum in quem inſtitutum eſt finem, (quod non facile commiſerit vir plus) qui juramenti finis eſt, idem debet eſſe & jurantis, is autem eſt, ita audienti fidem facere, ut de rei prius dubiæ veritate certior fiat & ſecurior. At qui ſimulat, falſam fidem audientibus ingenerare ſtudet : atque ita non ſolum alterum falli permittit, (quod tamen eſt *contra charitatem*, cum poteſt & debet impedire) ſed etiam fallere intendit, quod præterquam quod eſt *contra* omnem *juſtitiam & Honeſtatem* ; eſt etiam cum ſumma Dei injuria & nominis divini contempt conjunctum

[1] Heb. 6. 16.

[2] *Eraſm. 11 Chil. ex Simocat. Epiſt.*

Periurium ait nequiter decipere credentem, 22. qu. 2. c. in duo.

conjunctum. Et mihi ſane vix aliud Perjurii genus *Tertii Decalogi præcepti* aut ſcopo, aut ipſis etiam verbis (de *non aſſumendo in vanum Dei nomine*) magis ex diametro adverſari videtur, quam quod ex iſta ſimulatione exurgit. *Vanitatis* enim vox ut proprie & adæquate omne id quod quoviſmodo falſum eſt complectitur: ſic peculiari quodam modo & propriiſſime id ſignificat, quod ita falſum eſt, ut tamen veri ſpeciem aliquam præ ſe ferat. Adeo ut ſiquis Vanitatis (cum ſit Ens rationis tantum, nec habeat veram eſſentiam, per analogiam tamen quandam ad Ens reale) naturam & eſſentiam definiendo exprimere conaretur, non poſſet id commodius facere, quam ſi mentis imaginatione ideam quandam ſibi fingat rei compoſitæ ex *Nihilo*, velut *Materia* ; & *Mendacio*, velut *Forma*. Nimirum *Spes* quæ ſe alit interim Mendacio, & tandem fruſtra eſt, nec invenit quicquam, ea *Vana ſpes* eſt. Et in præſenti negotio, qui promittit aliquid quaſi revera futurum, aſſumpto in veritatis confirmationem Dei nomine, quod tamen totum abit in nihil, aut non intento aut non præſtito, quod promiſſum eſt : is directe & ad literam *aſſumit Dei nomen in vanum*, violat præceptum Dei, & graviſſimi criminis (perjurii) reus eſt. Atque ita ſat confirmatam habetis *primam Hypotheſin*, de Juramenti Simplicitate.

VIII. *Secunda* ſequitur, huic cognata : quæ ad Juramenti juſtam interpretationem pertinet ; eſtque breviter hæc, *Juramenti Obligatio eſt ſtricti juris. Jus ſtrictum* hic intelligo, non ea ſignificatione qua ſæpiſſime occurrit apud Juriſconſultos, pro illo *rigore juris* quod ἀκριβοδίκαιον vocant, & opponitur τῷ ἐπιεικεῖ ſive *Æquitati* : quo ſcil. convertitur [1] *judicium in abſynthium*, quodque eſt ita cum injuria fere conjunctum, ut pene in proverbium abierit illud. *Summum jus ſumma in-*

[1] Amos 6. 12.

juris. Sed mitius aliquanto, pro interpretatione juris ita juſta & ſuis cancellis circumſcripta, ut non trahantur verba juris ultra quam par eſt in alicujus partis gratiam & favorem, aut cujuſquam facto vel commodo inſervire cogantur. Ut verbo dicam *Strictum Jus* hic ita accipitur, non ut excludat juris interpretationem æquitate temperatam, ſed ut excludat juris interpretationem gratia corruptam. Quum autem ſit *Interpretari* nihil aliud, quam rem cui ſubeſt aliquid aut obſcuri aut ambigui, exponere : ſciendum eſt dari poſſe ejuſdem rei *triplicem* expoſitionem ſive interpretationem : *Rigidam*, *Favorabilem*, *Juſtam.* Extremæ ſunt *Rigida* & *Favorabilis* : & eſt utraque, ut pleræque res extremæ, in vitio. Et ut eſt plerunque *Extremorum coincidentia* quædam, ſed adeo infelix dum utrinque à Medio receſſum eſt, ut ſemper conveniant in eo quod malum eſt, & ut plurimum in eo quod peſſimum : ita *rigida nimis* & *nimium favorabilis* interpretatio Juris in eo conveniunt, quod utraque per iniquam πραγματολη‡ίαν vim quodammodo faciat legi, torquendo eam nimium ſubtili expoſitione, in compendium unius partis, & gravamen alterius ; Sed cum hoc diſcrimine, ut rigidiorem premat interpretationem qui agitur *odio partium*, favorabiliorem ſectetur qui *ſtudio* ducitur. *Juſta* autem & inter utramque media interpretatio ea eſt, quæ citra reſpectum omnem ad perſonas, ex naturali æquitate & juſtitia, & ex verbis ipſis quatenus congrua ſunt æquitati & juſtitiæ, verum & genuinum ſenſum legis venatur. Et hæc, ſi poſſit aperte ſatis ex verbis conſtare, eſt in omni re ſimpliciter retinenda. Verum quoniam fieri poteſt, & ſæpenumero fit, ut de Legum aliorumque quæ indigent interpretatione proprio & naturali ſenſu oriatur controverſia : ubi *juſta interpretatio* ob rei dubietatem haberi

haberi non poteſt, concedenda eſt ex neceſſitate huic mediocritati ſua quædam (ut ita dicam) [1] *latitudo prudentialis.* Quemadmodum Ethici negant virtutis Mediocritatem in puncto indiviſibili poſitam eſſe, aut conſtare proportione Arithmetica, ſed Geometrica. In jure ergo dubio ſupplet vicem *juſtæ interpretationis*, pro rei natura de qua agitur, nunc ſtrictior, nunc benignior Interpretatio: quarum *Stricta*, à Favorabili remotior, vergit magis ad Rigidam; *Benigna* vero Favorabili propior à Rigida magis declinat. Perinde atque in moralibus, Virtus ea, quæ *Avaritiam* inter & *Prodigalitatem* media eſt, prout remotior eſt ab alterutra extremarum, aut Liberalitatis nomine cenſetur, aut *Frugalitatis.* Sunt ergo res aliquæ ita natura comparatæ, ut benignam ſibi interpretationem ſuo quodam jure concedi poſtulent; quæ ſcil. non ſit intercluſa verborum anguſtiis, ſed cum quodam (ut Ciceronis verbo utar) *laxamento* liberior: qualis habetur, exempli gratia, in jure noſtrati *Res Teſtamentaria.* Sic ex lege charitatis aliena dicta & facta, præſertim Principum, Parentum, aliorumque Rectorum; ſcripta item hominum piorum & eruditorum, (niſi ubi juſta admodum ſubeſt ſuſpicionis cauſa in contrarium) lenienda ſunt *benigna interpretatione*; juxta id quod dici ſolet, Dubia eſſe interpretanda in meliorem partem. At ſunt aliæ res permultæ ut *Privilegia*, Contractuum ex debito *Syngraphæ*, & pleraque eorum quæ inducunt obligationem juris, inque his *Juramentum*: in quibus, ubi de juſto ſenſu ambigitur, longe ſatius eſt & naturæ rei accommodatius, ſtrictiore quam benigniore uti interpretatione.

[1] ἀεὶ ἐφαρμοστέα ἀν ὁρίσειε. *Ariſtot. 2. Ethic. 6.*

IX. Cum ergo dico *Juramentum eſſe ſtricti juris*, id ita intelligendum eſt, Juramenti ſententiam ubi ea ex verbis ſatis manifeſta eſt, omnino

Cic. pro Cluent.

tenendam esse: ast ubi sententia dubia est, unicuique sedulo cavendum, ne nobis nostrisque affectibus nimium indulgeamus, aut nimis liberam laxamque interpretandi licentiam nobismetipsis concedamus, quo facilius nos vinculo juramenti quo obligati sumus eximamus; neve sensum aliquem juramento à nobis præstito aut ejus alicui parti affingamus; proprii commodi aut utilitatis causa, quem non quivis vir alius pius & prudens (qui est liberioris judicii, utpote cuja nihil interest) ex ipsis verbis facile eliceret. Ratio duplex. Altera *respectu aliorum*, ob metum scil. *scandali*: nequis alius infirmior, nostro exemplo adductus, quod à nobis factum videt id sibi quoque licere putet, etsi ignaro illarum subtilitatum, quibus tamen solis nosmetipsos à perjurii crimine tueri solemus. Altera *respectu nostri ipsorum*; ob metum, scil. Perjurii: quod gravissimum crimen sine dubio in nos admittimus, si nos forte fallat benignior illa interpretatio, quæ nobis jurandi fecit audaciam. Nititur autem hæc ratio generali illa & utilissima regula, quæ jubet *in dubiis partem sequi tutiorem*. Tutius autem est non jurare, ubi verba juramenti propositi secundum communem & obvium sensum verborum videntur aliquid illiciti in se continere, quam laxa interpretatione ita ea lenire in rem nostram, ut securius possimus in ea jurare: Quatenus istiusmodi juramentum sine perjurii periculo constat recusari posse; non constat sine aliquo aut periculo aut metu posse suscipi.

X. Sed tamen & ex altera parte cavendum, ne *stricta hæc*, de qua loquimur, interpretatio abeat *in rigidam*. Quod enim de *Privilegiis* dicunt Jurisconsulti, id & in aliis universim obtinent, quæ sunt ejusdem rationis, & speciatim in *Juramentis*: neque ea nimis stricte, neque nimis large esse interpretanda. Quum ergo dicimus Juramentum esse

eſſe ſtricti juris, non eſt id ita intelligendum quin ut in omni juramento, utcunque ſimpliciter enunciato & ſine exceptione, ſubintelligi tamen poſſint & debeant omnes illæ ſive *Exceptiones*, ſive *Conditiones*, quæ de jure communi ſubintelligi ſolent ad hoc ut Juramentum obliget. Quarum ſunt præcipuæ, & ad quas fortaſſis reliquarum pleræque reduci poſſunt, iſtæ quæ ſequuntur. Subintelligendum primo, Si *Deus permiſerit*: ſecundum illud Jacobi, [1] *Si Dominus voluerit & vixerimus, faciemus hoc vel illud.* Unde ſi Cajus Titio juret ſe ad Kal. Januarias *Londini* affuturum, & pecunias quas ei debet allaturum; ſi ad id tempus gravi morbo correptus decubuerit; aut in itinere à latronibus expoliatus nummos amiſerit: in hoc caſu non tenetur perjurii. Ratio eſt: quia cum omnia Divinæ Providentiæ & voluntati ſubſint, nec ſit in cujuſvis hominis poteſtate omnes futuros caſus præſtare: qui fecit quod in ſe fuit ut adimpleret quod promiſerat, juramenti fidem exolvit. Nam cum *rei impoſſibilis nulla ſit obligatio*, ut mox audietis: omne juramentum ex lege communi debet intelligi cum clauſula [2] *Niſi Deo aliter viſum fuerit*, aut alia ſimili. Subintelligendum ſecundo, *Quod licet*: quia *nec rei illicitæ ulla obligatio eſt.* Ut ſiquis juret indefinite obſervare omnia ſtatuta & conſuetudines alicujus communitatis; non obligatur ad obſervandam niſi ea tantum quæ ſunt licita & honeſta. Subintelligendum tertio, [3] *Salva Poteſtate Superioris.* Unde ſi filius-familias juret ſe facturum aliquid in ſe licitum, pater autem rei ignarus aliud ei faciendum imperet quod impediat id fieri quod juratum eſt, filius non tenetur juramento; quia lege divina naturali tenetur parere imperio patris. Et qui juravit non exire domo, citatus à legitimo judice ad comparendum, non obſtante juramento

[1] Jac. 4.

[2] *In omni voto vel ſacramento intelliguntur hæc ſubaudi generales conditiones, ſi Deus voluerit, ſi vivero, ſi potero.* Gloſſ. ad 22. qu. 2. c. B. Paulus.

[3] *In juramento ſemper jus ſuperioris intelligitur exceptum.* 2. Decret. 24. 9.

tenetur exire. Ratio eſt, quia actus unius non debet præjudicare juri alterius. Subintelligendum quarto, *Rebus ſic ſtantibus*: id eſt, ſi res in eodem ſtatu permanſerint quo nunc ſunt. Unde, qui juravit reddere gladium, non tenetur reddere furioſo. Et qui juravit ducere aliquam uxorem, non tenetur ducere, ſi deprehendat eam eſſe ex alio viro gravidam. Has & iſtiuſmodi conditiones, quarum eſt perſpicua ratio, in omni Juramento ſubintelligi fas eſt, etſi non exprimantur: & rigidus nimis eſſet juramenti interpres, qui iſtarum aliquam excluſum iret. Sed ſiquis exceptiones admiſerit magis dubias, & non à verbis juramenti ſolum, ſed & ob omni recta ratione alienas, nec jure communi & conſenſu populorum approbatas: næ is auſu temerario fines Juramenti à Deo præſtitutos loco moverit, & omni perjuriorum generi latam portam aperuerit. Maneat ergo ſecunda hæc noſtra hypotheſis, de *ſtricta juramenti interpretatione.*

XI. Cujus, ut & Superioris *de Juramenti Simplicitate*, propterea fuſiorem inſtituti tractationem, (etſi plurima alia meditanti mihi in mentem venerint, ſcitu non indigna, quæ tamen brevitatis cauſa prætermittenda judicavi:) tum quod rerum iſtarum clarior explicatio viſa eſt mihi his diſſolutiſſimis maxime temporibus admodum neceſſaria, in quibus viri paſſium ludunt juramentis, ut **pueri aſtragalis*; tum quod utriuſque hypotheſeos permagnus erit uſus, in his quæ Deo volente futuris prælectionibus à me dicenda ſunt. Reliquas abſolvam brevius. Hypotheſis tertia. *Juramentum non tollit obligationem priorem.* Habet quidem Juramentum ex natura ſua vim obligatoriam: ſed *conſtructivam* tantum, non item *deſtructivam.* Hoc eſt, poteſt inducere novam obligationem ubi nulla fuit, vel etiam confirmare eam

* *Lyſandri dictum, apud Plut. in apophth. Idem tamen lib. de fort. Alexan. id tribuit Dionyſio tyranno.*

eam quæ præfuit: ſed non poteſt tollere eam quam invenit, aut aliam ei repugnantem ſuperin- ducere. Cujus ratio eſt; quia per omnem obli- gationem jus alteri accreſcit; quiſquis enim obli- gatur, alteri obligatur: & iniquiſſimum videtur, ut per merum actum unius lædatur jus alterius ſine ipſius conſenſu. Neque vero intererit quicquam hac in re, fueritne prior illa quam ſupponimus ob- ligatio, *Naturalis* an *Acquiſita*. *Obligatio Naturalis* & Neceſſaria eſt, qua aſtringimur ad aliquod of- ficium alteri præſtandum, quod ei debemus ratio- ne perſonæ noſtræ vi legis Naturæ: ut dicitur quibuſdam (ut ſuperiore lectione monui) *Obliga- tio Æquitatis*: quia ex lege naturali, quæ & æquiſ- ſima eſt & omnis æquitatis norma, originem du- cit. Talis eſt mutua obligatio, quæ eſt inter vi- rum & uxorem, inter patrem & filium, inter do- minum & famulum, inter principem & ſubditos. *Obligatio Acquiſita* & Voluntaria, quæ & *Civilis* (per Synecdochen Speciei dicitur) & *Juſtitiæ*, quia juſtum eſt ut quod quis voluntate ſua fecit eo teneatur; eſt qua aſtringimur ad aliquod officium alteri præſtandum, quod ei debemus ex condicto, virtute alicujus voluntarii actus proprii. Talis eſt illa obligatio, quæ ex promiſſis, votis, juramentis, fœderibus, aliiſque humanis contractibus & con- ventionibus oritur. Si cui ergo Juramentum ſuſ- cipiendum deferatur continens aliquod quod *obli- gationi* priori, ſive naturali ſive adquiſitæ adver- ſatur, ut ſi adverſetur officio quod parenti debetur aut principi; vel ſi repugnet ei quod ante licite juratum fuit, vel promiſſum, ejuſmodi juramen- tum non poteſt à quoquam ſalva conſcientia vel præſtari, vel præſtitum adimpleri. Qui utrumvis fecerit, pejeraverit.

XII. Sequitur *Hypotheſis quarta*, quæ eſt ita ex ſe evidens, ut ſit *Regula Juris*, nec probatione in-

digeat: [1] *Rei impossibilis nulla est Obligatio.* Extenditur autem ad omne genus impossibilitatis, quæ in materia Juramenti potest contingere. Contingit autem rem aliquam esse *impossibilem*; aut per se, aut ex accidente. *Per se* autem tripliciter. Primo [2] *impossibilitate Naturæ*: quomodo impossibile est hominem volare, piscem loqui. Secundo, *impossibilitas Facti*: quomodo impossibile est Caium hodie Londini commorantem cras convenire Titium Venetiis. Tertio, [3] *impossibilitate Juris*, quomodo illud dicitur impossibile alicui, ad quod non habet potestatem legitimam; de quo etiam illud intelligendum est, quod dici solet, *Id tantum possumus, quod jure possumus.* Sic impossibile est Prætorem istius Urbis conferre alicui gradum Doctoratus. Si quis aliquod in aliquo istorum trium generum impossibile se facturum juraret; vanum esset Juramentum, & ab initio nullum; & per consequens non eum omnino obligaret, non modo ad faciendum quod juravit, sed ne ad conandum quidem. Sed Rei *Impossibilis ex accidente tantum*, aliquantum diversa est ratio. Ut si quis juratus solvere centum infra mensem, quod non est per se impossibile, casu aliquo inopino interim impediatur, ut non possit tantam pecuniæ summam tempore præfinito conficere; etsi non obligetur in foro Conscientiæ ad faciendum id quod promisit, scil. ad solvendum totum debitum debito tempore, quod jam redditum est ei impossibile; obligatur tamen ad faciendum quod in se est, *viz.* ad solvendum quantum potest, & quam cito potest. Ratio utriusque est, quia cum in hoc casu solo impossibilitas impediat obligationem; obligatio [4] tollitur quoad id solum quod est factu impossibile; [5] quoad reliquum vero manet. Et qui non potest omne quod debet, debet tamen omne quod potest.

[1] L. 185. F. de diverſ. reg.

[2] *Si ſtipuler ut id fiat, quod natura fieri non concedit, obligatio non conſiſtit.* l. 135 F. de verb. oblig.

[3] *Ubi conditio jure impleri non poteſt, nullius momenti eſt ſtipulatio.* l. 137. ſ. 6 F. de verb. obligat.

---- *generali et quoties pactum à re communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet.* l. 7 ſ. 16 F. de pactis.

[4] Tum liberetur à juramento. Gen. 24. 8.

[5] Vid 97. & l. 116 ſ. 2 F. de verb. Obligat.

XIII. Hypotheſis

XIII. Hypotheſis Quinta. *Rei illicitæ nulla eſt Obligatio.* Eſt autem *Illicitum*, quicquid eſt contra aliquod Dei præceptum in decalogo, aut contra bonos mores : quicquid repugnat pietati erga Deum, aut charitati erga proximum ; quicquid bono publico adverſatur, aut paci Eccleſiaſticæ, Politicæ, Domeſticæ : ut ſemel dicam, quicquid in ſe continet aliquam rationem peccati. Huc illa pertinent vulgatiſſima, [1] *Juramentum non eſt vinculum iniquitatis. In malis promiſſis reſcinde fidem*, &c. Ratio eſt : quia omne illicitum eſt contra officium. Obligatio autem omnis eſt ad officium. Præterea, quicquid eſt illicitum, eſt aliquo modo à Deo prohibitum, (aut immediate, aut per conſequentiam ;) prohibitio autem Dei obligat ad non faciendum id quod prohibitum eſt ; quam obligationem ex tertia hypotheſi ſubſequens Juramentum tollere non poteſt. Imo qui juravit facere, id quod ſine peccato fieri nequit, tantum abeſt ut obligetur ad id faciendum, ut potius obligetur omnino ad non faciendum. At juratum non adimplere perjurium eſt, inquies. Imo vero ſi res ſit illicita in quam juratum eſt, tunc pejeraſti cum juraſti ; non pejeras, cum contra facis. Et rem illicitam ideo adimplere quia juraviſti, nihil aliud eſt, quam perjurio flagitium adjicere velut *Pelion Oſſæ* & *ſitti ebrietatem* ; quam juramenti vice perjurii potius menſuram implere ; quam in perjurio obdurate & ſine pœnitentia perſeverare.

[1] *Vide* Can. 22. q^u. 4.

ὅρκος δίκαιος ὑποκριτὴς ἀνοσιώτατος. Philo.

XIV. Eſt tamen advertendum circa hanc hypotheſin ; multum diſtare quæſtionem hanc *An hoc vel illud Juramentum ſit licitum* ? ab iſta, *An hoc vel illud Juramentum obliget* ? Etſi enim certum eſt, quod conſtat præſtari non debere : nec jurari quidem debere, poteſt tamen fieri, & fit ſæpiſſime, ut quod jurari non debuit debet tamen

men præſtari. Exemplum clariſſimum, fœdus à Joſue cum Gabionitis pactum. Diſcriminis autem ratio hæc eſt. Ubi Juramentum ideo eſt illicitum, quia in id quod juratur eſt res illicita ; ibi utrobique peccatur, & jurando & adimplendo : ut ſiquis juraret occidere innocentem, & idipſum faceret, & perjurii reus eſſet, & homicidii. Et revera tale juramentum nullatenus obligat : quæ ultimæ iſtius hypotheſis ipſiſſima mens eſt. Verum ubi juramentum de re non illicita fit aliunde illicitum, ex aliquo externo defectu, & propter aliquam indebitam circumſtantiam : obligare poteſt jurantem ad implendum quod promiſit, niſi appareat aliud impedimentum In quo caſu locum habet quod vulgo dicitur, *Fieri non debet, factum valet.* Poſſumus ergo diſtinguere, Juramentum dici poſſe illicitum duobus modis : vel reſpectu *rei juratæ*, vel reſpectu *actus jurandi.* Juramentum illicitum reſpectu rei juratæ nullatenus obligat : juramentum illicitum reſpectu actus jurandi obligat, niſi aliunde impediatur. Sed de his hactenus. Iſtæ ſunt illæ προλήψεις ſive hypotheſes quas præponendas duxi inſecuturæ tractationi : quibus velut pedamentis & tibicinibus ſuffulciantur quæ poſthac de juramenti vinculo, & ejus vinculi ſolutione dicturus ſum : Quæ, quamvis ſit materia valde diffuſa, ex his tamen duabus præmiſſis partibus confido tertiæ parti tantum & luminis & roboris acceſſurum, ut non deſperem poſſe hoc Termino univerſam de re propoſita diſſertationem abſolvi. Conabor certe (ſi Deus permiſerit) omnem illam *Caſuum* varietatem ita compingere & in arctum cogere, ut Quinque Prælectionibus, (quatuor ſcil. de *Vinculo* juxta totidem Cauſarum genera, & quinta de ejus vinculi *Solutione*) totam quæ ſupereſt partem, ſi potero, complectar.

PRÆ-

PRÆLECTIO TERTIA.

Continens Caſus Sedecim.

SUMMARIUM.

1, 2. *Methodi ratio, & Ordo dicendorum de Juramenti materia.*
3. *Juramentum de re ſimpliciter Impoſſibili.*
4. *Juramentum de re impoſſibili, & ab initio improbabili.*
5. *Juramentum de re impoſſibili, ſed ab initio probabili.*
6. *Juramentum de re Neceſſaria.*
7. *Juramentum de re Illicita.*
8. *Juramentum de re ſimpliciter illicita.*
9. *Juramentum de illicita ex circumſtantia.*
10. *Juramentum de re quæ juranti videtur illicita.*
11. *Juramentum repugnans priori obligationi.*
12. *Juramentum impeditivum alicujus boni.*
13. *Juramentum cedens in incommodum ipſius jurantis.*
14. *Juramentum alteri ſcandalum præbens.*
15. *Juramentum de re Adiaphora.*
16. *Juramentum de faciendo quod alius voluerit.*
17, 18. *Juramentum de conſervandis juribus, & de obſervandis ſtatutis.*
19. *Supradicta omnia caute eſſe intelligenda, ſubmonitio.*

SECT. I.

SECT. I.

IMmenſum jam tandem pelagus ingredior: de *dubiis Conſcientiæ caſibus*, quod ad Juramenti vinculum attinet, idque quoad quatuor Cauſarum genera, prout pollicitus ſum dicturus. Sed antequam è portu ſolvam, illud vos adhuc præmoneo, non me fore de *Methodo* eorum quæ ſunt dicenda nimis ſolicitum. Eſt quidem *Ordinis* in omni genere ſtudii & tractationis plurimus & neceſſarius uſus: quo ſine, poterit fortaſſe quis vaſta & aſſidua lectione comparare ſibi variæ eruditionis molem; ſed eam confuſam & indigeſtam, nec multum utilem. Aſt illam ex altera parte διχολομαθίαν, & nimiam Methodi accurationem, (quam video nonnullos nimis anxie ſectari,) ut moleſtam quandam ſuperſtitionem, & non levem ſtudiorum remoram, vitandam ſemper judicavi. Mihi ſat erit, omnia dicenda ad certas claſſes ita revocare, ut aliqua ſaltem cognationis vel analogiæ ratio appareat, cur id factum ſit: parum ſolicito, nequis excipiat Juramenti ſenſum & interpretationem, ad *Formalem*, aut effectum aliquem ad *Finalem Cauſam*, non ſatis concinne reduci. Cum autem, ubi omnes cauſæ concurrunt ad effectum producendum, *Materia* imprimis requiratur, ut primum Subjectum generationis; proxime *Efficiens* cauſa, quæ agendo Formam producat; tertio *Forma*, quæ in Materiam per actionem efficientis introducatur; *Finis* denique, cujus gratia Efficiens operatur. Nos hunc, quaſi naturæ ordinem, ſequuti, à Materia ordiemur; hinc ad reliquas ſuo ordine progrediemur.

II. *Materiam Juramenti* intelligo rem illam circa quam verſatur, & in cujus confirmationem adhibetur Juramentum: ſive ea res ſpectetur ut *Juranda*,

randa, ſive ut *Jurata*. Ad rem Jurandam pertinet illa quæſtio, *Liceatne* hoc vel illo modo jurare? ad rem Juratam iſta, Poſito quod juratum ſit, juramentum illud ſive licitum ſive illicitum, *An & quatenus obliget* in conſcientia? cum ex facto etiam illicito poſſit oriri obligatio. Et eſt hæc quæſtio ſola inſtituti noſtri propria: Exponam tamen plerunque obiter & ὡς ἐν πάρεργῳ, ſaltem ubi eadem fidelia utrumque parietem dealbari poſſe arbitrabor, quid de illa etiam quæſtione ſentiam: maxime cum id & à quibuſdam expectari, & pleriſque veſtrum gratum fore, ab amicis admonitus nuper intellexerim. Eſt ergo Juramenti Materia, ut tandem rem ipſam aggrediar, aut *Definita* aut *Indefinita*. Quæ certa & definita eſt, conſiderari poteſt, vel quoad ſuum *Eſſe Naturale* ſive ratione *Exiſtentiæ*; utrum ſcilicet res factu Poſſibilis ſit an Impoſſibilis: vel quod *Eſſe Morale* ſive ratione *Qualitatis*; utrum ſcilicet res ſit factu Neceſſaria, Illicita, an Libera?

III. *Primum* ergo *Dubium* eſt, qualis ſit obligatio Juramenti de re impoſſibili: Hoc eſt, Si quis juraverit id ſe facturum quod adimplere non poterit, an & quatenus obligetur? Ubi tres potiſſimum occurrunt *Caſus*. Primus, Ubi res juranda fuit ab initio & in ipſo tempore jurandi palam & ſimpliciter impoſſibilis. Sive *Impoſſibilitate Naturæ*: cum res ipſa in ſe & nude conſiderata, citra reſpectum ad circumſtantias, implicat apertam contradictionem, aut repugnat naturæ alicujus ſpeciei entium; ut ſiquis promitteret ſe aſinum docturum literas. Sive *impoſſibilitate facti*: cum res eſt in potentia (ut loquuntur) remota ad fieri, hoc eſt cum nulla eſt repugnantia ex parte naturæ rei ipſius quin ut poſſit fieri, tamen propter defectum in aliqua circumſtantia, ut (verbi gratia) ob nimiam loci diſtantiam, aut præ angu- *Caſus 1.*

ſtia

ſtia temporis, aut à quavis alia cauſa, illa potentia ita impeditur ut non poſſit exire in actum : ut ſi Cajus hodie Oxonii exiſtens promitteret ſe cras cum Titio una cœnaturum Pariſiis. Sive denique *impoſſibilitate Juris* : cum quis aliquid ſe recipit facturum quod eſt ei à jure prohibitum, & ad quod non habet legitimam poteſtatem ; ut ſi Caius non hæres promitteret de Titii defuncti bonis daturum ſe Julio trientem. Pro reſponſione ad Dubium in hoc Primo Caſu, dico breviter ; Juramentum de re ſimpliciter impoſſibili, nec licitum eſſe, nec obligare. *Non eſt licitum*, quia & judicio deſtituitur, & veritate ; quis enim homo, aut ſani judicii ſperare, aut bonæ fidei intendere poſſet id facere, quod ipſe ſciret fieri non poſſe ? *Nec etiam obligat* ; non modo ad faciendum, ſed ne ad conandum quidem. Rei enim impoſſibilis, in quantum impoſſibilis, nullam eſſe obligationem, ante dictum eſt : & ſtultum eſt conari, quod nequeas efficere.

Caſus II. IV *Caſus ſecundus* eſt. Cum res in ſe non impoſſibilis, ſed tamen ipſo tempore Juramenti præſtiti ita improbabilis viſa, ut eam multo veriſimilius eſſet non poſſe quam poſſe poſtea præſtari, ex aliquo objecto impedimento evadit tandem impoſſibilis. Ubi enim ad efficiendum aliquod intentum ita neceſſario requiritur complurium rerum concurſus, ut ſi ex multis unum defuerit, reliquas neceſſe ſit fruſtra eſſe univerſas ; velut ſi ſubtraheretur horologæ machinæ rotula aut clavicula quantumvis exigua, inutilis eſſet reliqua compages : fieri vix poteſt quin ut inanis futura ſit omnis in eam rem opera collocata. Ut ſi Caius Titium hominem novum & obſcurum ſua opera futuris Comitiis conſulem creandum reciperet, verſus competitores natalibus, gloria, virtute, authoritate totius urbis præſtantiſſimos. Reſpondeo, tale

tale juramentum *non esse licitum*, nisi distertim additur istiusmodi clausula, *Si potero*, *Quantum in me est*, aut alia similis. Si dicas, non opus esse addi clausulam, quæ de lege communi subintelligi debet. Respondeo, subintelligi licere ejusmodi clausulas ex interpretatione Juris, ubi præsumitur jurans non potuisse prævidere aliquid quod impediret ad impletionem promissi: verum ubi id præsumi non potest, sed contrarium magis; nempe eum ignorare non potuisse multa contingere posse quæ impedirent, non concedi de lege communi tam benignam interpretationem. *Obligat* tamen hoc genus juramenti: non *ad effectum* quem supponimus esse impossibilem; sed *ad conatum*, quamdiu superat spes ulla, quantumvis debilis, rem fieri posse. Imo, plures & majores objiciuntur difficultates, eo obnixius conandum, & fortioribus animis obnitendum. At postquam palam desperata est, & constat fieri non posse; cessat obligatio; ex jam dicto fundamento, quod nemo teneatur ad impossibile.

V. *Casus tertius* est, Cum jurans ex animi sententia, rem probabilem ratus & bona fide intendens facere, nec dubitat (Deo volente) quin possit efficere, quod promisit; postea tamen emergente aliquo insperato casu, qui nullis rationibas humanis aut prævideri potuit aut præcaveri, sentit tandem rem factu esse impossibilem. Ut si Callias, Thebis habitans, juratus solvere Socrati Athenis quinque talenta die condicto, pecunias diligenter comparatus, furto, rapina, aut aliquo dolo malo amiserit, aut in via captivus alio abducatur, ita ut æs alienum debito tempore dissolvere non poterit. Tale juramentum *est licitum*: etiamsi non addatur illa clausula; *Si potero*, &c. quæ tamen ex communi juris interpretatione intelligi censenda est. Qua ex parte, discriminis inter *Casus III.*

hunc

hunc Casum & eum qui præcessit, hæc mihi videtur idonea ratio. Cum juramenti finis sit, ut fiat ei cui juratur *promissi fides* : expedit, ut id omne inter jurandum diserte exprimatur, quod videtur conducere ad hoc, ut firmior sit apud alterum fides nostra ; illud vero è contra reticeatur, quod fidem nostram reddere posset suspectiorem. In re utique parum probabili juranti non facile crederetur, ut homini præcipiti, temerario, & nimium præfidenti, si nulla adjecta exceptione, aut difficultatis significatione, rem plenam aleæ simpliciter se facturum sponderet. E contra, addita exceptio ubi nullus appareret periculi metus, suspectum redderet jurantem, quasi nihil aliud tam importuna diligentia quæreretur, quam fidei violandæ σοφισμος quædam & σκηπτικον. *Obligat* autem jurantem hoc juramenti genus ad faciendum * *quantum potest*, siquidem non poterit totum : &, si grave damnum alteri ex non præstito juramento acciderit, ad sarciendum illud aliqua saltem ex parte aliquo alio beneficio pro oblata sibi opportunitate, præsertim si impedimentum illud aliqua sua negligentia, imprudentia, aliave lata culpa contigerit. Et hæc de Dubio primo.

συμβολον πιστεως. Philo.

* *Videtur excusatus esse à faciendo quod juravit, licet teneatur facere quod in se est.* Aquin. 2. 2. qu 89. 7.

Casus IV.

VI. *Secundum* sequitur, de Juramento rei Necessariæ. *Rem necessariam* intelligo, quæ nobis ex officio incumbit vi præcepti divini etiam citra juramentum ; ita ut si eam debitis loco & tempore etiam injurati non faceremus, omnino peccaremus : ut alere parentes egenos, depositum reddere, & similia. Quo pertinent illa Juramenta, quæ à subditis exigi solent de fidelitate Regi servanda, & de Supremate regio agnoscendo tuendoque, quæque conceptis verbis ab iis præstantur, qui ad Magistratum aut munus aliquod publicum admittuntur, ut quæ sui sunt muneris fideliter faciant.

ciant. De obligatione hoc genus Juramentorum nulla poteſt eſſe controverſia. Ad quæ enim præſtanda vel injurati tenemur, jurati certe [1] multo tenemur magis : accedente ſcil. ei quæ præfuit ex præcepto, nova obligatione ex Jure jurando. Non ergo iſti Dubio ulterius immorabimur.

[1] ὁρκῳ δὲ πρόσεστιν ἐπιμελεστέρα ψυχὴ κατίσχει. Sopho. in Hippodam.

VII. *Dubium Tertium*, de Juramento rei Illicitæ : *Rem illicitam* dico, quæ ſine peccato fieri non poteſt, in quantum obviat (ut loquuntur) alicui præcepto divino : quum ſit peccatum omne ἀνομία & legi Dei adverſetur. Eſt autem hoc genus Juramenti adeo *illicitum*, ut non ſolum is peccet qui ſic jurat, ſed & is quoque qui alium ad ſic jurandum authoritate, conſilio, aut alio quocunque modo impellit inducitve. Sed de impellente fortaſſis alias. Peccat interim qui ſic jurat, ſive intendat facere quod juravit, ſive non intendat. Si intendat, peccat volendo rem illicitam, & ſic non jurat in Juſtitia : Si non intendat, peccat mentiendo, & ſic non jurat in Veritate. Sed ſive intendat, ſive non ; certum eſt *nullatenus obligari*. Fit quidem ſæpiſſime (qui eſt apud homines Divinæ Majeſtatis contemptus) ut aut iræ impatientia, aut metu periculi, aut ſpe commodi, aut amicorum impulſu, aut verecundia quadam & obſequio, aut alia quavis cauſa inducti plurimi (dum affectibus ſuis nimium indulgent) ea ſe facturos, Deo adhibito teſte, confirment ; quæ ipſi aut jam tum certo ſciunt eſſe illicita, aut ſaltem poſtea cum ſunt à pravis affectibus liberiores facile intelligunt, non poſſe à ſe ſine peccato præſtari. Et tamen, quæ eſt humani judicii perverſitas, peritiſſimi iſtiuſmodi technarum artificis Satanæ offuciis & præſtigiis effaſcinari ; plurimos videas quos nulla officii conſcientia ad recte agendum compuleris, juramenti tamen religione ad

prava agendum [1] ita conſtrictos teneri, ut quod malo conſilio juratum eſt ad idipſum adimplendum peſſimo errore ſe [2] putent ex juramenti vinculo obligatos. Atqui dictum eſt jam ante in quinta noſtra hypotheſi, & apertis rationibus confirmatum; nec rei illicitæ, quatenus illicita eſt, ullam eſſe obligationem, nec rem malam ullam vim accipere à Juramento.

[1] *Sæpe plerique conſtringunt ſe juriſjurandi ſacramento, ut cum ipſi cognoverint promittendum non fuiſſe, ſacramenti tamen contemplatione faciunt quod ſpoſpenderunt*, Ambroſ. 1, de offic. 12.

[2] ---- *Et juravit illicitè & perſeveravit injuſtè. Veruntamen non voluntate, ſed verecundiâ. Nam probro ducitur apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet malo publico juratum ſit.* Bern. ep. 219.

VIII. Quod ut rectius intelligatur, & accommodatius ad Caſus particulares, cum non ſint omnes res illicitæ ejuſdem generis & gradus: diſtinctius mihi paulo hac in re agendum eſſe ſentio. Quicquid ergo illicitum eſt, aut *ex ſe* illicitum eſt, aut *ex accidente*: Ex ſe rurſus dupliciter; *Primario* & *Secundario*. Illud dicitur *illicitum ex ſe primario*, & ut ita dicam in ſummo gradu, quod eſt ita illicitum ex natura ipſius rei, ut ſit univerſo humano generi à Deo prohibitum. Sic illicitum eſt, quicquid eſt contra ſacram Dei legem duabus Decalogi tabulis comprehenſam: quicquid aut pietati in cultu Dei, aut charitati fraternæ in operibus juſtitiæ & miſericordiæ adverſatur.

Et de re hoc primo modo illicita, ſit *primus Caſus*. Ut ſiquis juraret ſe ſacrificaturum Idolis, aut B. Virginis imaginem adoraturum; quæ ſunt *peccata Admiſſionis*: vel ſi juraret nunquam ſe divinis officiis interfuturum, aut ſacras concionem auditurum, aut Cœnæ dominicæ participaturum, aut ſanctificaturum Diem dominicum; quæ ſunt *peccata Omiſſionis* adverſus præcepta *Primæ Tabulæ*.

le. Aut ſiquis juraret occidere patrem, natum infantem exponere, adulteram dictis loco & hora convenire, aut cum aliis conjuraret in ſocietatem furti, latrocinii, fraudis, aut alterius cujuſvis criminis; quæ ſunt *peccata Admiſſionis*: vel ſi juraret patrem ſenem & egenum non alere, pauperibus eleemoſynam non erogare, depoſitum non reddere, &c. quæ ſunt *peccata Omiſſionis* adverſus præcepta *Secundæ Tabulæ*. In his & iſtiuſmodi rebus ſimpliciter & univerſim illicitis, ex omnium conſenſu etiam ſimpliciter & univerſim obtinet Hypotheſis antedicta, nullam eſſe poſſe ex Voto, Promiſſo, Juramento vel aliunde Obligationem.

[1] *Pacta quæ turpem cauſam continent, non ſunt obſervanda*: inquiunt Jeſu Chriſti. Imo etſi graviter peccatum fuerit vovendo, paciſcendo, jurando, aliaſve promittendo rem in genere illicitam: multo tamen gravius peccatur [2] adimplendo promiſſum. Quod qui facit, duplicis peccati ſe reum conſtituit: unius, ejus ſpeciei cujus eſt factum in ſe conſideratum, puta homicidii aut furti; alterius, violatæ religionis ex irreverentia & abuſu Nominis Divini, quatenus res mala ejus authoritate quantum in ipſo eſt confirmatur.

[1] *Si unus ff. de pact.*

[2] *Impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur. 22. qu. 4 c. in malis.*

IX. *Secundus Caſus* eſt de re *ex ſe illicita ſecundario*: id eſt, non ex natura ipſius rei omnibus illicita, ſed quibuſdam tantum pro conditione ſuarum perſonarum, prout ſunt membra alicujus communitatis, aut in certo aliquo vitæ genere verſantur. Illicitum enim eſt (idque ex ſe, non ex accidente tantum) his qui ſunt membra alicujus communitatis, quicquid [3] *legibus illius communitatis* repugnat: quod tamen illicitum eſt aut à Deo prohibitum, non primario, immediate, & in ſpecie; ſed ſecundario, mediate, & in genere, vi illius generalis mandati divini quod præcipit obedientiam rectoribus in omnibus licitis

Caſus 6.

[3] *Jus iurandum contra vim legum & authoritatem juris nullius eſt momenti. l. ſiquis ff. de legat. & fidei c.*

& honeſtis. Illicitum item eſt eodem fere gradu, & ex eodem fundamento, his qui aliquo munere aut officio funguntur, aut in certo aliquo vitæ ſtatu aut conditione conſtituti ſunt, (quam noſtrates vocabulo minus proprio fortaſſis, ſed tamen uſu recepto, *particularem Vocationem* appellant) quicquid naturæ aut rationi illius muneris ſive *Vocationis* non eſt conſentaneum. Poteſt enim id licere Magiſtratui politico, quod non licet verbi Miniſtro, aut è contra : itemque mercatori, quod non agricolæ ; domino, quod non ſervo : conjugi, quod non cœlibi ; & ſic de cæteris. Quibus omnibus Deus in genere legem hanc fixit, ut quiſque quod ſuæ vocationis eſt fideliter faciat, intraque fines ejus modeſte ſe contineat. Siquis ergo *Mercator Anglus* juraret ſe lanas, aut alias merces extra regnum Angliæ lege deportari prohibitas Hamburgum mittere ; aut ſi *Magiſtratus* aliquis juraret ſe non puniturum furtum aut adulterium ; aut *Epiſcopus* vel *Presbyter* ſe nunquam concionaturum, aut *Sacramenta Adminiſtraturum* ; Aut ſervus ruſticus ſe, domino jubenti boves jungere vel fruges demetere, non pariturum : quorum primum illud *Legibus Regni*, reliqua *conditionibus propriæ Vocationis* adverſantur. Eſſent iſta omnia Juramenta rei eo quo jam dixi gradu illicitæ ; & ipſa etiam propterea Juramenta *illicita* & ordinarie *non obligarent*. Dico *Ordinarie* : Quia fortaſſis poſſunt dari caſus : in quibus Juramentum quod videtur alicui legi *communitatis* aut *vocationis* adverſari, etſi non debuerit ſuſcipi, ſuſceptum tamen poteſt obligare. Ut exempli cauſa, in lege pœnali disjuncta. Sit Lex Civitatis : *Nemo civis Prætoris munus, ad id electus, detrectato : qui ſaxit, centum aureorum multa eſto.* Caius civis, quod ſe imparem putet muneri, aut ut caveat ſibi ab aliquo quod inde metuit incommodo, jurat

jurat ſe nunquam urbana Prætura functurum. Eligitur à civibus: jurejurando ſe tuetur: ab illis poſcitur tamen ad gerendam præturam, poſthabito jurejurando. In hac ſpecie facti quæritur, In foro conſcientiæ quid juris? Reſpondeo, debuit non juraſſe; nulla præſertim cogente neceſſitate: potuit enim vel injuratus recuſaſſe. Juratus tamen videtur obligari, nec poſſe ſine perjurio poſcentibus civibus morem gerere: tenetur itaque mulctam ſolvere, Præturam recuſare. Intelligi velim præciſe quantum ſpectat ad id de quo nunc agitur, materiam ſcil. juramenti, atque etiam præciſe in quantum adverſatur legi civitatis. Nam reſpectu finis, aut alterius cauſæ, imo reſpectu ipſius etiam materiæ quatenus eſt impeditiva majoris boni publici, aut aliunde, poteſt juſta ſubeſſe ratio quæ obligationem tollat. *Ordinarie* tamen ut dixi, Juramentum præſtitum contra leges *totius Communitatis* aut *propriæ vocationis* non obligat. Atque hæc de rebus ex ſe illicitis dicta ſunto.

X. Sequuntur quæ ex ſe non illicitæ, ſunt tamen illicitæ ex accidente. Accidit autem rei licitæ, ut fiat illicita; aut ex errore perſonæ jurantis, aut ex effectu malo rei juratæ. *Tertius* ergo *Caſus* eſt, cum quis juramento pollicetur ſe facturum aliquid in ſe fortaſſis licitum, quod tamen ipſe putat eſſe illicitum, aut certe veretur ne non ſit licitum. Ut ſiquis ante hæc tempora admittendus ad beneficium (ut vocant) Eccleſiaſticum, promiſiſſet in publicis ſacris obſervare omnes ritus legibus Eccleſiaſticis imperatos; veſtem ſcil. lineam, crucis ſignum ad ſacrum fontem, ingeniculationem in percipiendis ſymbolis in ſacra cœna, & id genus alios, quos ipſe tamen ex aliquo levi præjudicio putaret eſſe ſuperſtitioſos & papiſticos. Quæritur in hoc caſu quæ ſit Obligatio? Pro reſponſione dico *tria*. Dico *primo*, non *Caſus* VII.

poſſe tale juramentum, durante tali errore, ſine gravi peccato ſuſcipi. Peccat enim graviter, qui contra conſcientiam peccat, etſi erroneam. Judicium enim intellectus cum ſit unicuique proxima agendi regula: voluntas, ſi judicium illud non ſequatur, deficiens à regula ſua neceſſe eſt ut in obliquum feratur. Tritum eſt illud. *Qui facit contra Conſcientiam, ædificat ad gehennam.* Sane qui jurat in id quod putat eſſe illicitum, nihilo minus juraturus eſſet, ſi eſſet revera illicitum: atque ita res illa, ut alii licita, eſt tamen ipſi illicita; ſententiam ferente Apoſtolo, *Rom.* 14. 14. Ubi diſtinguit inter κοινὸν δι' ἑαυτῦ, & ἐκείνῳ κοινόν, & aperte docet, poſſe id quod non eſt κοινὸν δι' ἑαυτῦ, impurum & illicitum in ſe, eſſe tamen ἐκείνῳ κοινὸν impurum & illicitum homini, τῷ λογιζομένῳ τί κοινὸν εἶναι, nempe illi homini qui æſtimat aliquid eſſe impurum aut illicitum. Dico *ſecundo*, tale juramentum *non obligare.* Ratio manifeſta, ex tertia hypotheſi: quia juramentum non poteſt tollere obligationem priorem, nec inducere obligationem aliam ei contrariam. Aſt illi juramento quod ſuſcipitur contra dictamen Conſcientiæ, præfuit alia prior ex illo dictamine orta. Conſcientiæ enim dictamen, ſive rectæ ſive erroneæ, ſemper obligat, ſaltem ad non faciendum contra eam. Iſtam autem obligationem Juramentum ſubſequens removere non poteſt. quin ipſum potius invalidum ſit, & vim obligandi amittit. Dico *tertio*, Si jurans poſtea melius edoctus errorem ſuum agnoſcat & corrigat; Juramentum quod prius non obligabat, exinde incipere de novo obligare. Juramento enim ineſt obligandi potentia quaſi naturalis & inſeparabilis; ſicut lapidi naturaliter & inſeparabiliter ineſt potentia movendi deorſum: quæ potentia ſemper nata eſt exerere vires ſuas, & prodire in actum, niſi ab aliquo

aliquo impediente prohibeatur : Quemadmodum ergo lapis, ut moveatur poſtquam aliquandiu quievit, non indiget nova aliqua potentia ſibi aliunde indita ; ſed, remoto prohibente, ſtatim ſuapte vi deorſum fertur : ſic Juramentum, remota illa errantis conſcientiæ obligatione quæ ipſius vim prius impediebat, ſine omni mora aut alterius rei ope, ex vi ſua obligat.

XI. Alii ſunt Caſus de *re illicita ex accidente*, ratione mali effectus ipſius rei : quatenus ſcilicet poteſt eſſe, *impeditiva boni*, aut *cauſativa*, vel ſaltem (ſic enim loquendum eſt) occaſionativa *mali* : Impediri autem bonum ſupponitur aut Antecedens, aut Futurum. *Quartus* ergo *Caſus* eſt, ubi res jurata videtur illicita, eo quod impediat effectum alicujus boni antecedentis ; puta Voti, aut Promiſſi prius facti : ut ſi is qui voto ſe prius obſtrinxerat ad aliquod opus pietatis aut charitatis, poſtea juramentum ſuſciperet, quod impediret adimpletionem prioris voti. Veluti ſi Voto obſtrictus dimidiam lucri partem hebdomadatim pauperibus dare ; juraret poſtea totum lucrum in uſus belli conferre : vel ſi Caius pollicitus Titio fundum vendere certo pretio, Julio poſtea ſe venditurum juret majori pretio. Hic caſus nihil habet difficultatis. Clare enim reſpondetur, & fundatur reſponſio in tertia hypotheſi ; ejuſmodi juramentum nec *licitum* eſſe, nec *obligatorium*. Quia obligatio illa prior, undecunque contracta, ſive ex pacto, ſive ex voto, ſive ex nuda promiſſione, ſive ex officio mero, valida manet,& ponit obicem omni actui contrario ſubſequenti. *Caſus* VIII.

XII. *Quintus Caſus* eſt, cum id quod juratur videtur eſſe *impeditivum alicujus boni* futuri. Ut ſiquis juraret ſe nunquam futurum fidejuſſorem alieni debiti ; aut verbi miniſtrum, cum ſit tamen ad illud munus valde idoneus ; aut artem utilem *Caſus* IX.

quem ſolus novit nemini communicaturum; & ſimilia. Ratio dubii eſt, quia minus bonum reſpectu majoris boni, habet quodammodo rationem mali: ergo juramentum, etſi alias honeſtum, ſi ſit impeditivum majoris boni, videtur eſſe malum. Solutio dubii in hoc caſu non poteſt aliqua afferri generalis & certa, quæ factis ſingularibus univerſis conveniat: quia verſatur in comparatione magis & minus boni, quæ plurimum pendent ex circumſtantiarum collatione; quæ cum ſint infinitæ varietatis, non poſſunt omnes certis & definitis regulis ita comprehendi; quin ut viri prudentis arbitrio res plurima ex parte ſit permittenda, ut id demum faciat; quod expenſis qua licet fide & diligentia utrinque rationibus ſibi videbitur tandem pro hic & nunc magis expedire. Interim tamen, quum non ſit ſimpliciter verum (niſi caute intelligatur) unumquemque ſemper obligari ad id faciendum quod eſt melius: pro ſolutione dubii in hoc caſu dici poteſt, Juramentum non eſſe illicitum, aut obligandi vim amittere, præciſe ob hoc quod videatur eſſe impeditivum majoris boni; niſi concurrant aliæ etiam circumſtantiæ (ut quidem fere ſit,) quæ illud evincant aut non licere, aut non obligare. Exemplo res erit illuſtrior. Caius pharmacum eximiæ virtutis aut aliud artificium inſigne à Titio inventoreve edoctus, ſed ea conditione, ut cum nemine alio, ipſo ſuperſtite & inconſulto, juret ſe communicaturum. Non communicatio tanti arcani videtur eſſe contra bonum publicum: & tamen ratio dictat Cajum obligari, & teneri bona fide obſervare quod promiſit, Aliàs Titio fieret injuria, cujus intereſt arcanum non communicari: quod nec ipſi Caio ab initio, niſi tali interpoſito juramento communicatum fuiſſet.

XIII. Re

XIII. Reſtat proxime ut de re agamus *per accidens illicita* ex eo quod videatur eſſe *cauſativa*, vel ſaltem *occaſionativa alicujus mali*, idque vel ipſi juranti, vel alteri. *Sextus* ergo *Caſus* eſt, ubi quod juratur incommodum eſt ipſi juranti: vel inferendo ei certum *damnum temporale*, vel exponendo eum periculo *tentationis*. Ut ſi Cajus juraret ſe Titio decoctori mutuo daturum centum aureos, nunquam fortaſſis recepturus; quod ei cederet in damnum. Aut ſi Fabius, petente id uxore jam morti vicina, ex qua liberos aliquot ſuſtuliſſet; ne induceretur eis noverca, juraret ad ſecundas nuptias ſe non tranſiturum; unde ſe fortaſſis periculo exponeret uſtionis. Pro reſponſione dico *primum*, iſtiuſmodi promiſſionem non eſſe temere aut ſiue magna deliberatione faciendam, nec niſi gravis cauſa ſubſit: non tamen ſimpliciter eſſe illicitam. Etſi enim omnis *mali occaſio* ſit diligenter vitanda, tamen cum nihil quod non eſt ex ſe & alia ratione illicitum, ſit neceſſario & univerſaliter *mali occaſio*; nec ſit aliquid ſimpliciter, & de ſua ſpecie illicitum, ob hoc ſolum quod poſſit eſſe *occaſio mali*, non videtur ſimpliciter damnanda omnis iſtiuſmodi promiſſio; præſertim ſi juranti quo tempore juravit, debita adhibita diligentia, non appareret alicujus magni incommodi periculum probabile. Dico *ſecundo*, ſi cedat juramentum in damnum temporale ipſius jurantis ſolum, citra injuriam tertiæ perſonæ, juvantem obligari, etſi cum gravi ſuo damno, ni is cui juratum eſt velit remittere. Verba diſerta ſunt, *Pſal.* 15. נשבע לרע ולא ימיר *Juravit in malum, & non mutabit.* Ubi in Hebræo prius verbum præteriti temporis eſt (*juravit in malum*) poſterius futuri (*& non mutabit*) quaſi diceret, Viri pii officium eſt, poſtquam juravit proximo ſuo, quod ſine magno ſuo malo præſtari nequit, *Caſus X.*

quit, conſtare tamen ſibi, & quod promiſit ratum eſſe jubere, & (ut eſt in hoc textu) ſecundum omne quod egreſſum eſt ex ore ſuo facere. Dico *tertio*, Juramentum obligare : etiamſi videatur exponere periculo tentationis, niſi ſit aliunde vitioſum. Quia ſi id ſufficeret tollendæ obligationi, vix remaneret quidquam quod poſſet obligare: quum ex aſtu Satanæ & corruptione cordis humani nihil ſit à mali periculo tam immune, quin ut inde necti poſſit in perniciem noſtram (niſi nos Dei gratia præſtaret incolumes) laqueus tentationis. Quin potius ex adjutorio divinæ gratiæ poterit iſta obligatio, velut clypeus repellendæ tentationi idoneus, ex adverſum objici : nempe tentationi non credendum, ſed animoſius obnitendum ; quia juramenti religione teneris, ne id facias ad quod tentaris.

Caſus XI. XIV. *Caſus Septimus* eſt, ubi id quod juratur videtur ex eo illicitum, quod alteri poſſit inde creari *periculum Scandali* ; præbendo ſcil. ei ex facto noſtro occaſionem ruinæ. Plurima extant eaque graviſſima in Epiſtolis Paulinis de vitando ſcandalo monita : præſertim *Rom.* 14. & 1 *Cor.* 8. & 10. Et ſane viro vere Chriſtiano ſummopere cavendum eſt, ut in omni converſatione ſua non propriæ tantum conſciéntiæ conſulat, ſed & ædificationi alienæ ; nec quærat quod ſibi utile eſt, ſed quod multis : videatque tam quid illis expediat, quam quid ſibi liceat : ne libertate ſua abutatur in perniciem fratris. Sed quatenus à rebus licitis abſtinendum ſit, ob ſcandalum vitandum; nec paucis expedire poteſt, neque eſt præſentis inſtituti deſpicere. Dicendum videtur, quod ad præſens negotium attinet, unius *ſcandali periculum*, ſi nulla adſit alia ratio cur res illicita cenſeatur, non ſufficere ad impediendam juramenti præſtiti obligationem : ſicut in præcedente caſu

de

de periculo tentationis jam dictum eſt : quum utriuſque periculi videatur eſſe eadem per omnia ratio.

XV. Emenſus jam tandem de Materia *Impoſſibili*, *Neceſſaria*, & *Illicita* præcipuos Caſus : ad reliqua Dubia pergo. *Dubium Quartum* eſt, de Juramento *rei Liberæ* ; hoc eſt rei neque Neceſſariæ neque Illicitæ, ſed Mediæ & Indifferentis. Quæ ἀδιαφορία cum ex duplici cauſa oriatur ; ſcilicet *ex voluntate Legiſlatoris* nec præcipientis nec prohibentis, & *ex levitate Rei* : Occurrunt proinde in hac materia duo Caſus. *Caſus prior* eſt, cum res nullo aut præcepto aut interdicto divino vel humano legitimo ita determinata eſt, quin ut poſſit quiſque pro hic & nunc ſecundum exigentiam circumſtantiarum pro ſuo arbitrio facere vel non facere, prout ipſi viſum fuerit expedire. Ὁ θέλει ποιείτω ——— *quod vult faciat, non peccat*, 1 Cor. 7. 36. Ut ſi Caius juret ſe Titio fundum venditurum, aut daturum mutuo centum. Reſpondendum breviter, Juramentum in hoc caſu & licitum eſſe, & obligare. *Caſus poſterior* eſt, cum res aut ob ſui levitatem indigna eſt viri prudentis deliberatione, nec caſſa nuce intereſt feceritne an non fecerit ; ut levare feſtucam de terra, fricare barbam, &c. Aut, ob parvitatem materiæ non eſt multum æſtimabilis ; ut dare pomum puero, aciculam commodare, &c. Juramentum de re, iſto ſenſu adiaphora, omnino eſt *illicitum*. Arguit enim ſancti nominis Dei aut nimiam irreverentiam, ſi (ut fere fit) ex quodam habitu jurandi longo uſu contracto, imprudenti forte exciderit ; aut apertum contemptum, ſiquis id ſciens prudenſque admiſerit. Scilicet, non eſt Deus advocandus teſtis, niſi ubi dignus vindice nodus inciderit ; ubi cauſa exigit, non juſta modo ſed & gravis.

Caſus XII.

Caſus XIII.

Et

Et in hoc omnes consentiunt. Cæterum *de Obligatione* quid statuendum? Video quidem plerosque Casuistas Pontificios in ea esse sententia, juramentum de re exigua & parvi momenti esse sua natura nullum, & non obligare, quia scilicet res levis non est idonea materia Juramenti, & Lex non curat de minimis. Sed miror potuisse eos, qui alias videri, volunt esse tam Lyncei, in re tam aperta cæcutire: nisi quod putidæ illi distinctioni *Peccati mortalis & Venialis*, quo velut fermento totam Theologiæ Moralis massam fœde corruperunt, locum relictum cupiant. Sed obligare Juramentum in re vel leviſſimi momenti constat; *Primo*, quia in re gravi & levi eadem est veritatis & falsitatis ratio. *Secundo*, quia in Assertorio Juramento qui aliter dicit quam res est, etsi in re leviſſima, pejerat: ergo à simili & in Promissorio, qui aliter facit quam juravit. *Tertio*, quia aliter, quantum in se esset, Deum falsæ rei testem faceret. *Quarto*, quia omnis jurans tenetur facere totum quod promisit, quatenus potest & licet: sed dare puero pomum & possibile est & licitum; ergo tenetur præstare. Non debuit ergo sic jurari: sed ubi juratum est, debet impleri.

Casus XV. XVI. Reliquum est *Dubium Quintum*, ubi juratur in Materiam *Indefinitam & Incertam*: & continet tres potiſſimum Casus. *Primus Casus* est, cum quis se tradit quodammodo in alienam potestatem, promittendo se facturum quicquid ille alter voluerit. Ut si princeps juraret se daturum aulico amico ob præstitum sibi fidele officium quicquid is petierit: aut si servus cujusquam vel amicus juraret se omnia heri jussa vel amici mandata facturum. In isto casu dico *primo*, Juramentum istiusmodi, si simpliciter intelligatur ut verba sonant, esse *illicitum*. Injuriam

facit

facit Deo, cujus unius ſervus eſt omnis homo quiſquis ſe facit [1] *ſervum hominis*, & alienæ temeritatis mancipium. Dico *ſecundo*, ut licitum eſſe poſſit, aliud aliquid neceſſario ſubintelligi. Ut exempli gratia, Juro me facturum quod voles: ſubintellige, ſi rem voles honeſtam, poſſibilem, æquam. Atque eatenus, & in eo ſenſu obligat. Videntur hac quaſi ſolenni formula juraſſe ſoliti olim reges Perſarum & Judæorum, idque indefinite ad ampliorem magnificentiæ ſuæ & gratiæ oſtentationem; *Pete quod vis, & dabitur tibi uſq; ad dimidium Regni.* Hac forma Rex Perſarum *Aſſuerus* Reginæ conjugi juravit: & cum hæc [2] rem æquam & neceſſariam peteret, ille pro fide data rem fieri juſſit. Eadem pene forma cum *Salomon* Reginæ matri promiſiſſet, daturum ſe ei quicquid peteret; & ipſa Adoniæ nomine rem peteret quæ Salomoni, cui comperta erat jamdiu hominis ambitio, viſa eſt iniquior, *Salomon*, non obſtante Juramento, poſtulatum matris non fecit. Quo facto ſatis indicavit, non ſe alia mente promiſiſſe, quam ſi res juſta poſtularetur: ſuoque exemplo nos docuit, ubi indefinite in alienam voluntatem juratur, ſubintelligi ſemper oportere hanc conditionem ſi is id voluerit, quod ex æqui boni jure ab illo modeſte expectari, à nobis honeſte concedi fas eſt. Suppetit & tertium exemplum ejus formæ juramenti, quod narratur, Math. 14. *Herodis* ſc. *Tetrarchæ*, qui ſaltatriculæ ex fratre nepti gratiam facturus, juravit ſe ei datu- rum, quicquid peteret. Petiit illa rem iniquiſſimam; hominis innocentis & indemnati amputatum in patina caput. Rex fieri juſſit διὰ τὸς ὅρκυς καὶ τὸς συνανακειμένυς. Religioſum, *ſcilicet*, & verecundum hominem puduit præſentibus tot convivis non adimplere id, nefario licet facinore, ad quod ſe juramenti ſacramento obſtrinxerat.

[1] 1 Cor. 7. 13.

[2] Eſt. 5. 3, 6. & 7. 2.

[3] 3 Reg. 2. 20, &c.

ἐκκόπτεται ὅτι ἐν ἀδήλοις ὄρκοις προέκειντο. Chryſoſt. in Matth. Hom. 48.

Eſto

Esto hoc nobis exemplum in cautelam; ast illud Salomonis in imitationem. Et meminerimus Juramentum sic indefinite prolatum [1] *cum sua justa exceptione* tantum esse semper intelligendum; & extendendum ad ea solum quæ sunt verisimiliter cogitata cum juraretur; non ad ea, quæ si tunc cogitata fuissent, non fuisset juratum.

[1] *Conditio intelligitur. Si aquum sit l.* jus publicum. ff. de pact.

Casus XV. XVII. *Casus Secundus* est, cum à subdito exigitur Juramentum conservandi & tuendi jura, privilegia, prærogativas & præeminentias superioris alicujus potestatis; ut Regis, Civitatis, aut Domini alicujus feudi: qualia sunt apud nos juramenta homagii, Juramentum Suprematus Regii, & similia. *Licitum* esse hoc genus Juramentum nemo non agnoscit, atque etiam *Obligare*: sed ob illorum jurium plerumque incertitudinem, merito dubitari potest *quatenus obligent*. Dicendum est, obligari subditum indubie ad conservandum quantum in ipso est omnia jura quæ νόμῳ aut θέσμῳ, legibus aut moribus constat esse legitima; id est quæ aut jure scripto definita sunt aut longo temporis usu & diuturna (ut vocant) præscriptione invaluerunt: quatenus scil. sibi nota sunt, vel etiam posthac moraliter innotescere poterint. Non tamen pariter obligari ad omnia ea conservanda quæ sunt dubii aut controversi juris: præsertim cum soleant fere qui potestate præditi sunt funiculos agrorum extendere, & ultra lapides clientium salire, nec jurium suorum funibus contenti esse. Debet tamen subditus animo esse semper parato, & illa quæ sunt dubia, ubi justa esse constiterit, agnoscere & tueri.

Casus XVI. XVIII. *Ultimus Casus* est, ubi exigitur Juramentum à membro alicujus communitatis, puta Civitatis, Academiæ, Collegii, aut Societatis Mercatorum vel Artificum, ad *observanda statuta*, privilegia, consuetudines, & libertates illius communitatis.

icatis. Quæritur, Qualis eſt obligatio? Reſpon-
eo; *Imprimis*, Juratus obligatur ad omnia *ſtatuta*
undamentalia, quantum in ipſo eſt, ſimpliciter
bſervanda. *Fundamentalia* autem dico, quæ ne-
eſſario & proxime tendunt ad conſervandum pub-
icum ſtatum, ordinem, & honorem totius corpo-
is ſive communitatis. Sed id *ſecundo*, non ſemper
neceſſario ad rigorem literæ; ſed prout in more
poſita ſunt, & uſu communi recepta, & prout ap-
robata conſuetudine ab aliis obſervantur. *Tertio*,
d minorum gentium ſtatuta quod attinet, quæ
ertinent ad externam tantum formam & decus:
el quæ aut ex conditione materiæ, aut ex forma
anctionis, aut alio probabili indicio vir prudens
udicaret non fuiſſe condita cum intentione [1] *ri-*
gide obligatiuis; obligatur ea ordinarie obſerva-
e: ſic tamen ut liceat ei quandoq; juſta de cauſa
ne ſcrupulo conſcientiæ id prætermittere quod
tatuto aliquo faciendum præſcribitur; modo id
at citra ſcandalum aut contemptum. *Quarto*, Ob-
gatio extenditur & ad ſtatuta de futuro ſancien-
a, modo ſint poſſibilia, juſta & honeſta. *Quin-*
, ſi aliquod ſtatutum poſt juramentum præſtitum
rogatur, vel in deſuetudinem abeat; obligatio
ramenti quoad illum ſtatutum ceſſat, ita ut non
eneatur illud ultra obſervare: niſi juratum fuerit
erbis ſpecialibus in ipſam rem ſtatuto decretam;
n eo enim caſu ſublato ſtatuto manet tamen obli-
atio. *Sexto*, cum ſtatuta Communitatum fere
urima ſint, & multa multis ignota; & difficilli-
um ſit, imo vix poſſibile, omnia & ſingula exacte
examuſſim obſervare: qui bona fide ita ſe com-
raverit, ut nihil quod eſt officii ſui lubens præ-
erierit, debitamque adhibuerit moralem diligen-
am: ut ea omnia ſciret quæ ad ipſius officium
ertinent; ſtatueritque ſtatui, honori, paci ſuæ
ommunitatis, quantum humana patitur infirmitas,
fideliter

[1] *Juramentum non debet plus obligare quam voluerit aut rationabiliter velle debuerit obligare ordinator talis juramenti.* Gerſon. de ult. ſpi. cit. lect. 4.

fideliter & ſine ſcandalo inſervire ; hunc ego non dubitarim fidem de ſtatutis obſervandis à ſe datam bona conſcientia hactenus liberaſſe, & debitum ad quod ſe obligavit æqui boni lege exſolviſſe. Quod item & de publicis *Regni legibus* intelligendum eſt.

XIX. Atque hæc de prima caſuum claſſe dicta ſufficiant. Ne quis autem me exiſtimet nimiam propterea jurandi licentiam voluiſſe permittere, quod toties dixerim hoc vel illud Juramenti genus *non eſſe illicitum*: illud neceſſarium duxi me vo mature ſubmonere, non id ea mente aut hodie dictum, aut poſthac dicendum, quaſi cuivis licere putarem pro ſuo arbitrio cum voluerit ſic jurare; quum ſciam juramentum rem eſſe ſacram, nec ni magna cogente neceſſitate, idque rariſſime, & ſumma cum reverentia adhibendum. Sed id ir ubique intelligendum, non eſſe juramentum ex il vel illa cauſa ſimpliciter & de toto genere illici tum. Exempli gratia, cum dixi Juramentum *im peditivum majoris boni* non eſſe illicitum, vel *Ju ramentum de re adiaphora* non eſſe illicitum : ſen ſus fuit, non debere concludi Juramentum aliquo eſſe ſimpliciter & de toto genere illicitum, (mod habeat alias omnes debitas conditiones,) ex eo fo lum quod ſit *impeditivum majoris boni*, aut ex ſolum quod ſit *de re adiaphora:* ſive, quod eodem recidit, non eſſe ex hac parte aliquod impedimen tum quin ut poſſit eſſe licitum, ſi ſit alias neceſſa rium & omni alia ex parte debite conditionatum

PRÆ

Totius Instituti Operis.

ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ

SIVE

DIAGRAPHE.



Appendix de Prædictarum Obligationum inter se Collatione quoad vim obligandi.

PRÆLECTIO QUARTA.

Continens Casus Quindecim.

SUMMARIUM.

1. *Juramenti Causa Efficiens, & Propositio dicendorum.*
2. *Juramentum puerorum.*
3. *Juramentum Amentium, & Morionum.*
4. *Juramentum hominis Ebrii, aut Irati.*
5, 6. *Juramentum ejus qui est sub alterius potestate.*
7. *Authoritas deferentis Juramentum.*
8. *Fides hosti, hæretico, perjuro, servanda.*
9. *Juramentum, an &, quatenus obliget jurantis hæredes.*
10. *Fides data, hæredi & successori præstanda.*
11. *Juramentum spontaneum.*
12, 13. *Juramentum dolo elicitum.*
14. *Juramentum ex metu levi susceptum.*
15. *Juramentum vi & metu extortum. Latroni pacta pecunia solvenda.*
16. *Solvuntur objecta.*
17. *Pactus cum Latrone silentium, an teneatur.*

SECT. I.

ABsolutis superiore Lectione præcipuis difficultatibus, quæ ad Juramenti *Materiam* proprius pertinebant: pergendum nunc porro ad ea dubia solvenda quæ ad *Causam* ejus

efficientem quoquo modo reduci poſſe videbuntur. Eſt autem Juramenti *Cauſa Efficiens*, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, duplex Altera, quam *Agentem* dicimus, cujus propria eſt effectio: altera, quæ agentem ad operandum impellit, quam προκαταρκτικὴν ſeu *Impulſivam* cauſam ſolemus appellare. Agens rurſus aut eſt proxima & principalis, aut minus principalis & ab effectu remotior. Cum enim ad Juramenti obligationem duas minimum perſonas concurrere neceſſe ſit, velut terminos iſtius relationis; perſonam ſcilicet *Juratis*, qui fidem ſuam alteri jurejurando confirmat, & perſonam ejus cui juratur, qui fidem alterius ſibi juramento interpoſito firmari poſtulat, quem plerique Ciceronem ſecuti *Deferentem* vocant; utriuſque perſonæ ſuæ ſunt quaſi partes in hoc negotio; ſed Jurantis primæ & potiores, ſecundæ Deferentis. Poſſunt autem ſpectari in utroque Agente, imprimis *conditio* (ſive ut ita dicam idoneitas) *perſonæ*; deinde & *extenſio Obligationis*. Sunt ergo in hoc genere Cauſæ Efficientis illa dubia primo loco conſideranda, quæ oriuntur ex defectu alicujus conditionis requiſitæ ex parte *Agentis principalis* ad hoc, ut ſit idoneus ad ſuſcipiendum juramentum. Duo autem potiſſimum requiruntur, ut quis ad jurandum idoneus ſit, *Judicium* ſcilicet rationis, & legitima *Poteſtas*. Oportet enim ad jurandum accedere animo, & deliberato, & ad implendum promiſſum parato. At neque deliberare poteſt, qui non eſt præditus judicio rationis: nec fidenter aliquid polliceri & cum effectu, qui ſub aliena poteſtate eſt, & non ſui juris.

Caſus XVII. II. *Dubium* itaque *Primum* eſt, Quatenus obligat juramentum ejus, cui deeſt judicandi facultas? Qui defectus cum poſſit à variis cauſis oriri, variii propterea in hoc capite occurrunt caſus.

Prim-

Primus eſt de *Pueris*, quoad pervenerint ad uſum rationis ; quod qua demum ætate fiat, nec à quoquam definitum eſt, nec definiri poſſe puto : quum alii celerius matureſcant, alii tardius. Jura quidem cum civilia Romanorum, tum plerarumque gentium municipalia certos annos conſtituerunt, ad quos antequam perventum ſit, pueri nec ad juramentum aſſertorium præſtandum ſunt admittendi, nec cogendi ad promiſſorium. Qualis eſt apud nos annus ætatis decimus ſextus, quo minor qui ſit nec admittitur teſtis in judiciis, nec exigitur ab eo Juramentum aliquod fidelitatis : imo omne Juramentum ab eo præſtitum eſt in jure nullum. Obtinet hæc in foro externo : cæterum in foro conſcientiæ interno non eadem eſt ratio. Inſtituendi quidem ſunt à prima pueritia liberi & pupilli à parentibus & tutoribus, ut *juramenti* vim & religionem, *perjuriique* gravitatem & debitas ei pœnas mature intelligant, & ſerio expendant : quo diligentius ſibi caveant ne ſe temere tam fœdo crimine polluant, ſed à prava jurandi conſuetudine diſcant ab initio abſtinere linguam ſuam. Vix enim cogitari poteſt, quis poſſit eſſe *puerilis juramenti* neceſſarius & legitimus uſus, tum ob judicandi imperitiam, tum ob illud quoque quod ſub poteſtate aliena ſunt : niſi forte à parentibus in quorum poteſtate ſunt pro jure ſuo ad aliquod mandatum ſuum fideliter exequendum exigatur. Quemadmodum *Annibalem* fama eſt novem ferme annorum puerum à patre Amilcare inter ſacrificandum aris admotum, & jurejurando adactum, ut Romani nominis perpetuus hoſtis eſſet. V. Liv. l. 21.
Sed heu, proh prudor ! ex collapſa dudum ubique apud homines Chriſtianos diſciplina domeſtica, audias paſſim in vicis & in triviis pariter pueros atque puellas, ubi vix dum articulate loqui didicerint, ſacrum & verendum Dei nomen ore pro-

phano & intrepide & impune temerantes: cujus vitii teterrimum fœtorem, quo pueri velut recentes teſtæ penitus imbuti ſunt, vix tandem ſenes facti deponunt. Sed nolo me aliorſum rapiat doloris & indignationis æſtus: redeo protinus ad rem. Dico ergo *juramentum puerorum*, antequam pervenerint ad annos (ut noſtri loquuntur) diſcretionis, vel ſint doli capaces, ob defectum judicii, *nec licitum eſſe, nec obligare.* At quamprimum ſunt doli capaces, ut poſſint quæ ſit juramenti natura & vis, etſi tenuiter, aliquatenus tamen intelligere; quod ordinarie & ut plurimum contingit completo jam fere primo ætatis ſeptennio, in multis etiam maturius, aut qui ſunt præcocioris ingenii, aut in quibus malitia ſupplet ætatem: *juramentum puerile*, etſi ſit (niſi fortaſſe excipi debeat is unicus caſus, ſi à parente exigatur) alias penitus illicitum; præſtitum tamen obligat, niſi aliunde impediatur. Ratio eſt, quia actus ex ſua natura obligatorius, qualis eſt ille jurandi actus, proceſſit, ab animo judicandi facultate aliquatenus prædito.

Caſus XVIII & XIX. III. *Secundus Caſus* eſt de amentibus & furioſis: & *Tertius* itidem de ſtultis & morionibus. Quorum utrique generi hominum familiare vitium eſt, ex ore impuro etiam incogitantes juramenta importune eructare. Quod, etſi eſt illis à nobis condonandum; & fortaſſis à Deo qui ſumme miſericors eſt, nec meſſem expectat ubi ſementem non fecit, non imputabitur eis in peccatum, quia ex invincibili mentis errore promanat: certum tamen eſt, quod de omni juramento pronunciavit Matt. 5. 37. Servator, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, ex inſtigatione Diaboli & communi pravitate cordis humani provenire, qua ſumus omnes Adæ filii inflexibiles ad bonum, ad omne mali genus cerei. De ejuſmodi juramentis, vana quæſtio eſt, & nulli uſui, Sint ne

licita

licita an illicita ? quia expenſio rei licitæ & illicitæ ad eos tantum pertinet, qui poſſunt aliquatenus judicare de rebus actis aut agendis, utrum ſint ſuæ Regulæ (id eſt, legi Dei & rectæ rationi) conformes vel non. Qua facultate cum deſtituantur qui ſunt impotes mentis, fruſtra illis legem dixeris. Næ is cum ratione ſua vel magis inſanit, qui ab inſano rationem factorum expoſcit. Interim conſtat ejuſmodi juramenta, in quantum ſunt actus amentium, nullatenus obligare. Quod ſi quis alias furioſus & amens, lucidis tamen animi intervallis per certa tempora ita fruatur, ut ſit per illa intervalla mentis ſuæ compos : juramenta ab illo tunc præſtita non minus obligant ad ſui impletionem, quandiu contigerit eum recto rationis uſu frui, quam ſi ab homine ſanæ & ſedatæ mentis præſtita fuiſſent.

IV. *Caſus Quartus* & *Quintus* ſunt de Obligatione Juramenti, quo quis aut *ebrius pollicetur* aut *iratus minatur* ſe aliquid facturum, quod ſobrius & pacatus fieri nollet. Ratio dubitandi eſt, quod cum ad hoc, ut juramentum aliquod obliget, requiratur aliquod ſaltem animi deliberati judicium, *ebrietas* & *iracundia*, quarum utraque eſt amentia quædam brevis, ſic judicium perturbant, & rationis uſum tollunt pro tempore, ut quoad alter crapulam edormierit, alteri nonnihil deferbuerit æſtuantis animi dolor, neuter ſane à furioſo multum diſtare videatur. Cæterum de iſtiuſmodi Juramentis illud imprimis certum eſt, neutrum genus excuſari poſſe à peccato : ſed utrum ebrietas aut iræ impetus peccatum quod eſt in illo jurandi actu aggravet an extenuet potius, non ſatis inter omnes convenit ; neque profecto videtur iſti problemati una affirmatione ſimpliciter & ſufficienter reſponderi poſſe, cum judicium hac in parte pendeat plurimum ex circumſtantiis. *Caſus* XX. & XXI.

Sed utcunque, eſt ea quæſtio non hujus inſtituti. Evincit ratio dubitationis expedire, ne quis aut ebrius aut iratus quidquam omnino juret: quia in illa mentis intemperie non poteſt jurare *in judicio*, ſed neceſſe eſt ut id temere effutiat, quicquid demum id ſit, quod ſuaſerint (quæ *nil moderabile ſuadent*) vinum & dolor, quodque ſanus & ſiccus indictum injuratumque magno redemptum cuperet. Sed tamen de Obligatione diſtinguendum eſt. Nam primo, aut res illicita eſt in quam juravit, aut licita & honeſta. Si *illicita* fuerit (ut plerunque fit in his præſertim juramentis quæ iratis nimia vindictæ cupiditate obcæcatis ex animi quodam impetu excidunt) manifeſtum eſt non obligare: rei enim illicitæ nullam eſſe obligationem ante demonſtratum eſt ſatis. Idcirco & prudenter ab Abigaile admonitus eſt, & monenti pie obſequutus eſt *David*, poſtquam indigna hominis ingrati contumelia paulo commotior, in internecionem Nabalis & univerſæ domus ejus juraſſet: cum poſthabito jurejurando manum abſtinuit à ſanguine. Quod ſi res jurata ſit *licita*, ut ſæpe ſunt ea quæ ebrii magnifice pollicentur; tum diſpiciendum eſt *ſecundo*, qualis quantuſque fuerit ebrietatis exceſſus: num in eo gradu ut impediret tantum aut perturbaret uſum rationis, an in eo ut ipſam mentem penitus auferret, hominemq; ſummota ratione quaſi in beſtiam aut feram converteret. Rationis uſu penitus ſublato, qui juravit tenetur ubi ad ſanam mentem redierit, & ebrietatis & temerarii etiam juramenti ſeriam agere pœnitentiam: non tamen obligatur ad faciendum quod ſe facturum juravit; quia quo tempore juravit, non habuit eum uſum rationis qui neceſſarius eſſet ad judicandum de rebus agendis cum aliqua animi deliberatione. At rationis uſu præpedito tantum, non autem ita ſublato, quin ut poſſet

1 Sam. 25.

quantumvis

quantumvis ebrius de rebus agendis aliquo modo judicare & ſtatuere, videtur etiam aliquo modo obligari ad juramentum aliqua ſaltem ex parte adimplendum, ſi fieri poſſit ſine ſuo admodum gravi incommodo ; tum ratione antecedentis deliberationis ad obligandum ſufficientis, tum in aliquam temeritatis ſuæ pœnam, ut diſcat in poſterum ſapere, & ſobriam vitam agere, ne id in ſe temere admittat ebrius, quod eum ſobrium ringat. Sed ſi adimpletio promiſſi cedat juranti in grave damnum aut incommodum ; ut ſiquis ebrius juraret fundum unde familiam alit, venditurum vili pretio: videtur non obligari. Ob eam ſcil. rationem, quod vix ullum poteſt eſſe certius indicium emotæ ſede ſua mentis, quam cum quis vino ſaucius id ſe facturum magnifice pollicetur, quod eſt cum ſuo magno malo conjunctum. Quum ergo animus inter jurandum non fuit plene liber ; propterea nec erit obligatio plena. Is itaque fortaſſis in hoc caſu erit rei non bonæ exitus non peſſimus, ſi utraque pars, jurans ſcil. & is cui juratur, viri boni & prudentis arbitrio rem totam permittat : qui ſtatuat ſcilicet ex circumſtantiis, quotam partem par ſit jurantem ejus quod promiſit, in ebrietatis & ex ebrietate temeritatis pœnam perſolvere.

V. *Dubium Secundum* eſt, de Juramento ejus qui *non eſt ſui juris*, ſed ſub poteſtate alterius : ut ſi filius-familias aut pupillus qui ſunt ſub poteſtate parentum & tutorum, vel ſervus qui eſt in domini poteſtate, vel uxor ſub mariti poteſtate, vel ſubditus alicujus principis, vel miles ſub imperio ducis, vel alius quivis qui alterius poteſtati ita ſubjicitur ut non ſit plenarie ſui juris, juramentum aliquod præſtat ſine permiſſu ſuperiorum : queritur an & quatenus valeat ejuſmodi juramentum ? Reſpondeo : Non licet ei qui alterius poteſtati *Caſus.* XXII.

ſubeſt, de his rebus in quibus ſubeſt, aliquod jurando ſtatuere, ſine conſenſu ſui ſuperioris: vel expreſſo, ſi commode haberi poteſt; vel ſaltem tacito; id eſt, ubi jurans, poteſt veriſimiliter præſumere ſuperiorem, ſi conſuleretur, non contradicturum. Si ſecus fecerit, peccat jurando: nec obligatur ad faciendum quod juravit; imo obligatur ad non faciendum, niſi accedat ſuperioris, ubi rem reſcierit, licentia. Id quod fuſe explicatum eſt à Moſe toto hoc capite, in caſu *voti* vel *juramenti*, (nam, quantum ad vim obligandi, ex hoc ipſo verſu videtur eſſe eadem utriuſque ratio) à *Virgine* præſtiti, dum eſt in domo patris ſui, vel à *Muliere*, in domo mariti ſui. Summa eſt, Votum Virginis, ſi pater reſciverit nec contradixerit, ratum eſſe; quia tacendo conſenſiſſe videtur: ſin contradixerit, irritum. Quod idem per analogiam de aliis omnibus ſtatuendum eſt, qui alienæ poteſtati ſubſunt, quatenus ſubſunt; ut ex antedictis manifeſtum eſt, his duabus rationibus: *Primo*, quia injuriam alteri facit, qui quaſi jure ſuo ſtatuit de iis quæ ſunt juris alieni: nemo autem tenetur alteri injuriam facere, ex quinta noſtra hypotheſi, cum nulla ſit rei illicitæ obligatio. *Secundo*, tenetur quiſque ex officio ſuperiori, in his quibus ſuperior eſt, ſubjici, atque ipſius voluntati parere: quam obligationem ex tertia noſtra hypotheſi ſubſequens juramentum tollere non poteſt. Proinde omnino dicendum eſt, Juramentum ejus qui ſub alterius poteſtate eſt, abſque ipſius conſenſu nec *licitum* eſſe, nec *Obligatorium*.

VI. Quod tamen non eſt ita abſolute intelligendum, quin ut *duplicem* admittat *exceptionem*: quarum altera *perſonam* reſpicit *jurantis*, altera *conſenſum ſuperioris*. Quod ad jurantem attinet, ſciendum eſt, vix quenquam qui gaudet uſu rationis,

is, ita plene ſub alterius eſſe poteſtate, quin ut
ſit, quantum ad aliqua ſaltem, ſui juris. Et de his
ita licet unicuique ſtatuere pro ſuo arbitrio, etiam
inconſulto ſuperiore, ut poſſit aliquo actu ſuo ſine
ejus licentia inducere ſibi obligationem. Non de-
bet Caii ſervus Titio operam ſuam locare aut he-
rilium bonorum partem aliquam ei donare vel
commodare, ſine conſenſu ipſius Caii : quia in his
quæ ad obſequium præſtandum, ad diſponendum
de bonis, vel ad quamcunque familiæ adminiſtra-
tionem ſpectant, habet pater-familias merum im-
perium. Poteſt tamen Caii ſervus de [1] *peculio*
ſuo, vel Caii filius de *peculio* (quod vocant) *ca-*
ſtrenſi vel *quaſi caſtrenſi*, aliquid Titio donare vel
promittere, Caio inconſulto; & ſi promiſſionem
juramento firmaverint, tenentur vel eo invito pro-
miſſis ſtare : quia habet uterque peculii ſui libe-
rum poteſtatem & diſpoſitionem, eſtque, quoad
hoc, ſui juris. *Secundo*, quod ad *conſenſum ſuperi-*
oris attinet, ſciendum ad ratihabitionem juramen-
ti à ſubdito præſtiti, non neceſſario requiri con-
ſenſum præcedaneum expreſſum, ſed ſufficere *con-*
ſenſum tacitum, ſive antecedentem ſive ſubſequen-
tem. *Conſenſum tacitum Antecedentem* intelligo,
cum ex rei æquitate vel levitate, vel alia proba-
bili cauſa veriſimiliter præſumi poteſt, ſuperio-
rem facto conſenſurum, vel ſaltem non contradi-
cturum, ſi conſuleretur : Ut ſi, Caio abſente, vel
inconſulto, uxor ejus pauperem nudum trita veſte
donaret, aut ſtipem mendico erogaret : aut filius
ejus vel ſervus Titio vicino petenti bovem, aut
plauſtrum, aut aliud qui ruſticæ domeſticæve
ſupellectilis utendum commodaret; aut ad ædes
extruendas, fruges comportandas, aut aliud opus
neceſſarium perficiendum operam ei ſuam collo-
caret. *Conſenſum tacitum Subſequentem* intelligo,
cum ſuperior, cujus in poteſtate eſt quamlibet pro-
miſſionem

[1] *Servus quod juravit ſervatur, ſi peculii adminiſtrationem habuit.* l. 20 ff. de Jurejur.

miſſionem à ſubdito temere factum, ſi ſibi commodum viſum fuerit, reſcindere; poſtquam promiſſum reſcivit, non ſtatim & palam contradicit, nec ullo certo indicio prodit, quod hactenus factum eſt ita ſibi improbari, ut impleri porro nolit. Juxta id quod à Moyſe præſcriptum eſt hujus capitis verſibus ſexto, octavo, aliiſque: ubi ad irritandum à patre vel marito filiæ conjugiſve votum, requiritur diſſenſus ſui & *aperta* & *matura* ſignificatio. Nec enim ſatis eſt patri ad irritandum (ſic in Scholis loquuntur) filiæ votum dixiſſe id ſibi diſplicere: ſed oportet ut apertè contradicat, ἐὰν ἀναντίων ἀναντίωσι, verſ. 6. & 9. ἐὰν πειρῶν πείσῃ, verſ. 13. & 16. *ſi renuendo renuat, & tollendo tollat.* Quaſi diceret, oportet ut facto conſtanter abnuat, & interpoſita omni authoritate ſua prohibeat quod promiſſum eſt fieri. Requiritur etiam ut id ſtatim fiat, ἕ ἂν ἡμέρᾳ ἀκούσῃ. verſ. 6, 8, 9, 13, 15. *quo primum die aliquid ea de re inaudiverit.* Quaſi diceret, ſi diſſenſum ſuum vel uno die diſſimulet, votum in perpetuum ſtabilivit: qui enim ſero ſe nolle ſignificat, putandus eſt aliquandiu voluiſſe.

VII. Poſt conſiderationem perſonæ *Jurantis*, ut Agentis principalis; conſideranda proxime venit perſona *Deferentis juramentum*, ſive ejus cui juratur, cujus poſt ipſum jurantem ſunt hac in re partes ſecundæ. De qua eſt *dubium Tertium*: ubi duo occurrunt Caſus: prout ejus ſpectari poteſt vel *Authoritas*, vel *Fides*. *Caſus* ergo *primus* eſt; ubi de ejus authoritate ambigitur qui exigit à nobis Juramentum. Si enim ſit *Legitimus Superior*, atque ita à nobis agnoſcatur, neque aliud à nobis Juramentum exigit quam quod eſt lege ſancitum, aut diuturna & approbata conſuetudine ſtabilitum: nemini poteſt eſſe dubium ejuſmodi

Caſus XXII.

juramentum

juramentum & licite præſtari poſſe, & debere fideliter adimpleri. Aſt ubi videtur is qui juramentum exigit, id nullo ſuo jure facere, ſed ejus & poteſtatem ſibi indebitam uſurpare : dubitari poteſt non immerito, liceatne jusjurandum ab eo ſic delatum ſuſcipere ; & ſi ſuſceperimus, an & quatenus obligemur. Dicendum *primo*, debere hominem pium & fortem juramenta omnia ab eo qui non habet legitimam poteſtatem impoſita, quantum in ipſo eſt omnino declinare. Non modo quia ſolenne eſt τοῖς ἐξωμόζουσιν ad iniqua promittenda eos in quos tyrannidem exercent compellere : ſed etiam quia tenetur quiſque jus ſuum libertatemque pro virili tueri ; nec ſe facile alienæ tyrannidi in ſervitutem tradere. At *ſecundo*, ſi præter imperium vis inſuper adhibeatur, cui reſiſtere non poterit, ita ut nullus jam ſit ſine ſummo diſcrimine recuſandi locus : dicendum poſſe virum pium tale juramentum ob vitandum grave incommodum in ſe admittere, ſed ægre tamen & gravate & cum aliqua reluctantis animi ſignificatione ; dummodo tamen ipſa juramenti verba (quod in hoc genere rariſſimum eſt) nihil contineant aut ex ſe illicitum, aut legibus publicis contrarium, aut juri alicujus tertiæ perſonæ derogatorium : Alias recuſare debere, etiam cum vitæ diſcrimine, & ultima quæque pati potius quam inhoneſto vinculo obligare caput. Dicendum *tertio*, qui juramentum ſuſceperit à perſona juſtam authoritatem non habente delatam, ſed nulla alia ex parte vitioſam, omnino teneri ad implendum quod juravit.

VIII. *Caſus ſecundus* eſt, ſi ſit is cui jurandum eſt infidelis, vel Hæreticus, vel qui nobiſcum antea egit non bona fide ; Dico *primo*, licitum eſſe homini infideli aut hæretico aut perjuro fidem dare *Caſus* XXIV.

dare. Factum id ab *Isaaco* & *Jacobo* Patriarchis, itemque [1] à *Josue* & primoribus populi Israelitici: qui fœdera cum Allophylis & Infidelibus pepigerunt fidemque mutuam datis ultro citroque solennibus juramentis confirmarunt. Dico *secundo*, fidem his datam esse omnino servandam. Solent nostri Pontificiis objectare, quod doceant *fidem cum hæreticis non esse servandam*: in quo fieri sibi clamant summam injuriam nostri seculi [2] *Jesuitæ*. Pudet scil. eos in tam clara luce dogma tam alienum ab omni sana ratione, tam humanæ societati perniciosum, palam profiteri. Sed enim evicerunt nostri, idque [3] *prolatis tabulis*, defendi illam conclusionem à nonnullis ejus Ecclesiæ doctoribus, sine ullo librorum aut prohibitione. aut expurgatione. Sed ut omnes verbo tenus negarent, illud saltem constat, si de eorum hac in re sententia aut ex doctrinæ suæ principiis, aut ex factis factorumque ratione, prout à suarum partium nec suspectæ fidei historicis narrantur, judicare licet, non esse cur sibi calumnian à nostris fieri tam fidenter clamitent. Interim sententiam illam, dum nolunt videri suam, aut falsam aut impiam tacite agnoscunt. Increpant aliquoties, Prophetæ Reges Judæ, & præ cæteris *Ezekiel*, toto fere capite decimo septimo, quod fidem Babyloniæ regibus juratam non servassent. Locus est insignis, & quem memini alicubi *Chrysostomum* & fuse & pulchre admodum explicare. Quin & Gentilium historiis nobilitata est *Reguli*, aliorumque hac in parte fides: qui & *Hostibus* & *Pœnis* (perfidissimæ genti) quod jurejurando intercedente promiserant, vel cum certo capitis periculo consuerint oportere præstari. *Regulum* hoc Elogio ornat *Silius*, compellans eum quasi per apostrophen.

[1] Gen. 26. 28. & 31. 34. &c. Jos. 9. 15. 19.

[2] Becan. Manual. 15.

[3] *Nullo, nullo modo fides servanda hæreticis, etiam juramento firmata.* Simancas

Qui

Qui longum ſemper fama gliſcente per ævum.
Infidis ſervaſſe fidem memorabere Pœnis.

Objicies fortaſſe vulgaria illa, *fallere fallentem* pro fraude non habendum, & cum *Cretenſibus Cretizandum.* Quibus addi poſſont quæ adducuntur a *Grotio* duo illa; alterum Bruti dictum eſt Apino, ἔστιν οὐδὲν ὅσιον Ῥωμαίοις πρὸς τυράννους ἀλλ' ὄνομον, *cum tyranno nulla Romanis fides eſt, aut Juramenti Religio*: alterum è veteri Tragico, *Fregiſti fidem*, inquit ille quidam; reſpondet alter, *Quam neque dedi neque do infideli cuiquam.* Reſpondeo, iſta communi via ſumpta, oſtendere magis quid facere ſoleat vulgus hominum, quam quod fieri debeat. Vel ſi ſint pro veris admittenda, ibi ſolum probari, ubi juratum eſt ſub conditione: vel expreſſa, ut ſi dicam, *Juro me daturum tibi centum, ſi tu mihi fundum pignori dabis intra menſem redemeris*; vel ſaltem tacita, ut cum duo homines mutuis juramentis ſe obligant ad mutua promiſſa præſtanda *per reſpectum mutuum.* Exempli gratia, Si Chremes herus juraret Soſiæ ſervo ſe daturum ei annuatim decem aureos, Soſia viciſſim Chremeti juraret ſe ei ſervaturum octo annis: qui horum utervis promiſſam fidem prior violaret, alterum fidei religione proinus liberaret. At ſi duo homines mutuo ſe obligent promiſſis diverſi generis, aut non eodem tempore, aut alias *citra mutuum reſpectum*: violata ab uno fides non liberat alterum obligatione; ſed uterque tenetur id ſervare quod ipſe juravit, etiamſi alter quod ſuarum erat partium non effecerit. Exempli gratia: Rex alicuis ſimpliciter & citra reſpectum ad fidelitatem ubditorum jurat ſe regnum adminiſtraturum juſte & ſecundum leges. Subditi alio tempore ſimpliciter

[a] *De jure bell.* 13.

Fruſtra quis fidem poſtulat ſibi ſervari ab eo, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. Rex juris in ſcato.

ſimpliciter & citra reſpectum ad Principis offici-
um jurant, ſe ei debitam fidelitatem & obedien-
tiam præſtituros. Utrique obligantur quod ſui
eſt officio fideliter facere, etſi defecerit altera par
à ſuo officia : ita ut neque Rex ſolutus ſit ſuo ju-
ramento, ſi ſubditi debitum obſequium non præ-
ſtiterint ; nec Subditi ſuo, ſi Rex à juſtitiæ tra-
mite deflexerit.

IX. Hactenus *de conditione* utriuſque *perſonæ Agentis* : Jurantis, ſcilicet ut principalis, & Jura-
mentum deferentis, ut minus principalis. *Du-
bium quartum* ſequitur, *de Extenſione obligationis* reſpectu utriuſque perſonæ ; ubi duo occurrunt
Caſus XXV. Caſus. *Prior Caſus* reſpicit perſonam Jurantis : *An & quatenus Juramentum obligat Jurantis hæ-
redes & ſucceſſores* ? Exempli gratia ; Caius, em-
pto Titii fundo, jurat ſimpliciter ſe ſoluturum e
intra ſex menſes centum libras : Interea tempo-
ris moritur Caius : quæritur an vi juramenti à Cai
præſtiti teneatur Caii hæres ſolvere promiſſas pe-
cunias ? Reſpondetur, teneri quidem Caii hæ-
dem ad ſolvendum, *ratione rei* quæ cauſam de-
dit juramento, in quantum fruitur commodo il-
lius fundi pro quo promiſſæ ſunt pecuniæ : hæ-
res enim de jure tenetur ſolvere juſta debita de-
functi in cujus bona ſuccedit, & æquiſſimum e
ut hæreditas tranſeat cum onere ſuo. Non tame
teneatur hæres *vi Juramenti* à defuncti præſtiti
ita ut ſi non ſolverit, injuſtus tamen ſit, no
item perjurus. Cujus ratio eſt : quia juramen-
tum eſt *vinculum perſonale* & inducit obligatio
nem ſpiritualem tantum in conſcientiæ foro int
riori, non autem civilem ſive temporalem in fo
externo. At in perſonalibus nemo ligatur ſi
proprio conſenſu. Si dicatur Caium per actu
ſuum perſonalem obligare poſſe *ſe & heredes* ſ
ad aliquid faciendum, ut quotidie fieri videm

in ſyngraphis obligatoriis : ergo videri à pari poſſe eum & ſacramento obligare hæredes, præſertim ſi expreſſis verbis dicat ſe jurare pro ſe & haredibus ſuis. Reſpondeo, non eſſe parem utrobique rationem. Quia *Obligationem Spiritualem*, quæ eſt in conſcientia, neceſſe eſt eſſe perſonalem ; ſicut eſt ſua cuique conſcientia propria, & quæ non poſſit tranſire in aliam perſonam : aſt *Obligatio Temporalis* ſequitur rem temporalem ; quæ, cum poſſit tranſire ad aliam perſonam, poteſt conſequenter alteri perſonæ obligationem inducere. Teneatur ergo hæres ex æquitate rei, non vi juramenti.

X. *Caſus poſterior* reſpicit perſonam ejus cui juratur : An qui juravit aliquid alicui facturum, eo defuncto obligetur id facere *hæredi ejus vel ſucceſſori* ? Reſpondeo, ordinarie obligari. Certum eſt jurantem obligari, ſi expreſſerit id ſe facturum ipſi aut hæredi. Obligari etiam cenſendus eſt, etſi non ſit expreſſum, ubi juramentum ſuſcipitur ratione alicujus *dignitatis* : quia dignitas non variatur ex varietate perſonarum. Unde ſiquis Subditus aut Miles jurat fidelitatem Regi, vel Imperatori exercitûs ; cenſebitur juramentum factum etiam quoad ſucceſſores in eadem dignitate. Idem dicendum eſt in materia *debiti*, & pleriſque aliis rebus, in quibus ratio aliqua *officii* aut *contractus* cauſam præbuit juramento. Si quæras, unde fiat ut Juramenti vinculum, cum ſit perſonale ex parte jurantis, non ſit etiam perſonale ex parte ejus cui juratur, ſed tranſeat ad hæredes & ſucceſſores : ſive quod idem eſt, quare poteſt quis ſe obligare *alicui & ſucceſſoribus ejus*, etſi ſucceſſores in juramento non exprimantur ; non poteſt autem obligare *ſe & ſucceſſores ſuos*, etſi ſiſerte exprimantur : Reſpondeo, diſcriminis rationem in hoc poſitam eſſe, quod in altero caſu

Caſus XXVI.

agatur

agatur de obligatione *propria*, in altero de obligatione *aliena*. Obligare poteſt quivis ſeipſum ſpiritualiter prout ipſe voluerit & intenderit; & proinde poteſt per actum proprium obligare ſe tam ſucceſſoribus alterius, quam perſonæ ipſius: at non poteſt quis alteri inducere obligationem, niſi ipſe quoque voluerit; & proinde non potest actu ſuo obligare ſpiritualiter niſi ſeipſum tantum. Quod autem dixi in reſponſione ad dubium in hoc caſu jurantem *ordinarie* obligari: id propterea dixi, quia fieri poteſt ut interdum non obligetur. Nam cum de jurantis intentione, ex natura rei & materiæ ſubjectæ præcipue judicari debeat: ubi ex natura rei promiſſæ & aliis circumſtantiis veriſimiliter præſumi poteſt jurantem intendiſſe promiſſionem tantum perſonalem ei cui juravit, & non ſucceſſoribus ejus; obligatio juramenti non tranſit ad ſucceſſores.

Caſus XXVII. XI. Sed de *Cauſis Agentibus* hæc dicta ſufficiant: ad *Impulſivas* tranſeo: Quæ partim internæ ſunt, partim externæ: *Internas* dico, cum quis ex mero motu propriæ voluntatis ſine alterius impulſu, ſponte ſe ad jurandum offert: vel ex impetu quodam iræ, amoris, alteriuſve perturbationis animi paſſionis; vel etiam ex ſola peccandi libidine & impia quadam jurandi conſuetudine inde loquendum temere & ſine judicio juramenta ſpargit. Quod vitium, ob peccati cum gravitatem tum frequentiam, optarim ut in ſacris concionibus & ſæpius & vehementius reprehendatur; quod video ſuis temporibus à ſanctiſſimo viro Johanne Chryſoſtomo diligenter & acerrime factum: ne juſtiſſimo Dei judicio [1] *propter juramenta terra lugeat*, & Dominus juret in ira ſua non ſe habiturum innoxios, qui verendum ipſius nomen ita contemptui habent, ut non vereantur ſine neceſſitate ſacroſanctam Dei majeſtatem

[1] Jer 9. 15. &c.

ſtem & arbitrum adducere. Sed de toto iſto juramentorum genere non eſt quod multa dicam. Omnino prohibitum eſt omne juramentum ſpontaneum, niſi cauſâ ſubſit gravis & neceſſaria. Audire eſt operæ pretium, quid de ſe Auguſtinus, *Juro*, inquit, *ſed quantum mihi videtur magna neceſſitate compulſus, cum videro non mihi credi niſi faciam, & ei qui mihi non credit non expedire quod non credit.* Quaſi diceret, tunc ſolum jurandum eſt, cum expedit ut nobis credatur, & injuratis non crederetur. Et in hoc caſu (in quo ſolo licitum eſt) juramentum ultro præſtitum vel maxime obligat: cum nullum vinculum arctius obliget, quam quod ſponte ſuſceptum eſt.

XII. His itaque miſſis pergo ad *cauſas impulſivas externas*: quæ duæ ſunt potiſſimum. *Dolus* & *Vis*. *Dubium* ergo *Quintum* eſt, de Obligatione Juramenti, quod dolo & aſtu elicitum eſt: id eſt, cum quis alieno verbo vel facto in errorem inductus, jurat ſe aliquid facturum, quod, niſi ab alio deceptus non fuiſſet juraturus. Cujus rei illuſtre habemus exemplum de [1] *Joſue & Principibus* populi Iſraelitici; qui à Gibeonitis ſimulantibus ſe peregrinos eſſe, qui è longinqua regione veniſſent ut fœderis conjunctionem cum populo Dei quærerent, decepti admiſerunt eos in fœdus, pacemque illis interpoſito jurejurando dederunt. Qui tamen poſtquam ſe deceptos ſenſerunt, non uſi ſunt reſcindere juramentum, cujus religione ſe obſtrictos ſciebant, ſed vitam ipſis & pacem prout pacti eſſent conceſſerunt: rationem tantum inierunt (impoſita eis conditione, ut ad viliſſima quæque miniſteria adhiberentur,) qua Gibeonitæ & præſentis doli pœnas aliquas darent, & in officio continerentur, neque Iſraelitis in poſterum nocere poſſent. De quo facto ſic Ambroſius, *Joſue pacem quam dederat revocandam* [2]

Caſ. XXVIII

[1] Joſ. 9. 15. &c.

[2] Lib. 1. de offic. 12.

candam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret. Quo uno exemplo satis constat juramentum dolo elicitum habere vim obligandi. Et ne quis existimet Josue cum suis fuisse hac in re plus æquo superstitiosos: non ipsi solum populo qui Gibeonitas putat jurejurando non obstante occidendos esse, restiterunt, hac reddita consilii sui ratione, [1] *Juravimus iis in nomine Dei Israel & ideo non possumus eos contingere*: sed & Deus ipse duplici postea signo rem comprobavit. Altero, dum depugnanti Josue pro Gibeonitis adversus conjuratos in eorum perniciem Reges, [2] *victoriam* insignem, edito etiam illustri miraculo, concessit. Altero, cum post centum superque annos, [3] *Saul Regis* injusti pacti cum Gibeonitis fœderis violatio trienni fame publica vindicata, septemque è liberis ejus publico suspendio ex Dei ipsius mandato tandem expiata est.

[1] Jos. 9. 19.

[2] Jos. 10. 8, 13.

[3] 2. Sam. 21. 1.

XIII. Est tamen in hoc casu aliqua distinctio admittenda. Nam error ille, in quem inductus est alterius dolo cui juravit, si sit circa aliquam *circumstantiam* tantum, aut circa *causam* rei aliquo modo *extrinsecam* & quasi accidentariam non tollit obligationem: ut ex errore Israelitarum circa Gibeonitas jam patuit. Quod idem dicendum est, Si Caius Titii viduam juraret se ducturum uxorem, putans eam esse divitem cum esset pauper; teneretur eam ducere, nec iste error tolleret obligationem: & sic de aliis juramentis ejusdem rationis. At, si error sit circa *substantiam* ipsius rei, aut *propriam* ejus *causam*; [illegible] si Caius juraret matrimonium contrahere cum hac fœmina particulari sub nomine Titiæ; putans eam esse Titiam quæ non est, & postea errorem suum deprehenderet: non teneretur jura-

men[illegible]

mento. Error enim circa ſubſtantiam rei, quæ fuit propria jurandi cauſa, irritam facit promiſſionem, & obligationem tollit.

XIV. *Dubium Sextum* & ultimum eſt, *de Vi*: ſive de Juramento per metum extorto contra voluntatem jurantis, ita ut metus ille ſi abeſſet, nollet jurare. Et eſt quæſtio ſane difficilis & intricata: conabor tamen ſummam rei expedire, qua potero & brevitate & perſpicuitate. *Caſus* ergo *primus* eſt, ubi *metus* eſt *levis*, & qui non facile cadit in conſtantem virum: ut ſiquis metu iniquæ cenſuræ, vel irriſionis, vel iræ & offenſionis alicujus viri potentis, juramento ſe promitteret facturum aliquid quod ſibi eſſet inconveniens, quodque, ni metus ille eſſet, nec facere vellet nec promittere. Pro reſponſione illud imprimis repetendum eſt, quod in tota hac materia juramentaria eſt ſanctiſſime obſervandum, ſiquid proponatur jurandum, quod eſt contra legem Dei, contra officium hominis Chriſtiani, contra bonos mores, contra leges Reip. contra antecedentem obligationem, aut alio quocunque reſpectu illicitum; non debere ullo aut commodi intuitu, aut periculi metu, ejuſmodi juramentum aut præſtari, aut præſtitum adimpleri. Hoc ſuppoſito dico, viro forti (id eſt pio; pius enim eſſe nequit qui non eſt fortis) ſimpliciter contemnendum eſſe inanem & levem metum, & omne ejuſmodi juramentum conſtanter & intrepide recuſandum. Nimirum eſt [1] *Vir juſtus fortis ut leo*; qua fortitudine qui deſtitutus eſt, vix fieri poteſt ut faciat inſigne aliquid viro bono dignum. [2] *Qui* enim *obſervat ventum non ſeminabit, & qui ſpeculatur nubes non metet*, inquit Solomon. Imo vix fieri poteſt quin ut multa ſane faciat viro bono indigna: [3] *Timor* enim *hominis*, eodem Solomone teſte, *adducit laqueum*. At, ſiquis forte præ animi

Caſus XXIX.

[1] Prov. 28. 1.
[2] Eccl. 11. 4.
[3] Prov. 29. 25.

mi anguſtia incautior laqueo ſe implicari paſſus fuerit, *ligavit ligamen ſuper animam ſuam*, & tenetur id quod promiſit adimplere.

Caſus XXX. XV. *Caſus Secundus* eſt, ubi gravis & juſtus eſt metus, & qui cadere poteſt in conſtantem virum : qualis eſt metus captivitatis, amiſſionis omnium bonorum, infamiæ cruciatus, & quod eſt ἧς φοβερῶν φοβερώτατον ipſius mortis. Dico *primum* ut ſupra, ſi juramentum contineat in ſe quid illiciti, ne vel mortis vitandæ causâ à viro honeſto ſuſcipi debere ; nec ſuſceptum poſſe ſine peccato ſervari. Audite, Chriſtiani, auream hominis Ethnici hac de re ſententiam : [1] *Juſtum & tenacem propoſiti virum, Non civium ardor prava jubentium, Non vultus inſtantis tyranni Mente quatit ſolidâ.* Dico *ſecundo*, ſi res exigatur intentatâ vi aliqua aut gravi metu, quæ nec illicita eſt, nec cuiquam injuria, ſed ipſi tantum juranti plus minuſve incommoda ; ut ſiquis iter faciens incideret in latrones, qui mortem ei ſtrictis gladiis minarentur, niſi promiſsâ ſub juramento certâ pecuniæ ſummâ vitam redimat : *licitum eſſe* in hoc caſu pecuniam promittere, & promiſſionem jurejurando firmare. Ratio eſt, quia è duobus propoſitis malis licet, & prudentem decet, minus eligere : & minus malum eſt pecuniæ jactura quàm vitæ. Dico *tertiò*, Juramentum iſtiuſmodi *obligare*, & pactum cum prædonibus pretium omninò eſſe perſolvendum. Quod, etſi videatur ex antedictis eſſe ſatis manifeſtum ; tamen cùm habeat hæc aſſertio magni nominis adverſarios, inquis *Ciceronem* (ſingularis judicii virum, & de jurisjurandi religione, quoad licuit homini Gentili, hoc uno dempto cætera ferè rectiſſimè ſentientem :) non abs re erit aſſertionem hanc aliquot rationibus confirmare. *Primò* ergo, qui juſtat rem licitam & poſſibilem, tenetur id præſtare :

[1] Horat. 3. Od 2.

ſtare: atqui pactam prædoni pecuniam ſolvere nec illicitum eſt, nec impoſſibile: ergo tenetur. *Secundò*, elegit id quod tunc viſum eſt ipſi melius, quódque, ſi è duobus alterum ipſi eſſet jam nunc neceſſario eligendum, denuo eligeret: & videtur non poſſe honeſtè recuſari, quod fuit prudenter electum. *Tertiò*; quod ob certum finem promiſſum eſt, à promittente debet præſtari, poſtquam conſecutus eſt ſuum finem; quia omne ſub conditione pactum, conditione illâ præſtita debet & ipſum præſtari: quo maximè fundamento nititur Voti conditionalis obligatio. Sed pactus cum latrone pretium, eo fine id fecit, ut vitam ſuam redimeret: ergo poſtquam vitam redemit, aſſecutus finem quem intendebat, debet exolvere quod promiſit. *Quartò*, ſuſpecta debet eſſe ſemper prudentia carnis, ut inimica cordis puritati, & tranquillitati conſcientiæ inſidioſa: Prudentia autem carnis, quæ demum eſt, ſi hæc non ſit, ubi videtur honeſtas cum utilitate certare, honeſto poſtpoſito, id quod utile eſt amplecti? Vix poterit de pecunia pacta ſolvenda multum deliberare, cui potiores ſunt divitiis religio & fides, & qui poſthabendum ſtatuit tranquillitati mentis commodum temporale. *Quintò* demum, laudantur Ethnicis *Regulus*, aliique (ut dictum eſt ſuperius) qui fidem hoſtibus ſervârunt, etſi iniquiſſimis conditionibus pactam: Laudatur & ipſi Ciceroni *Pomponius tribunus*, qui ſervavit quod terrore coactus juraverat, idque hoc adjecto epiphonemate, Tantum temporibus illis jusjurandum valebat.

XVI. Aſt excipiunt qui contra ſentiunt; *Imprimis*, Non eſſe hoſtis, & latronis vel piratæ eandem rationem: cum hoſte, perinde ac cum litis adverſario, jure agendum (Gentium hic, ut illic civili:) & proinde fidem ei ſervandam; at

cum prædone, velut humani generis communi hoſte, nullam eſſe juris, ergo nec & fidei ſocietatem. Reſpondeo: *primò*, peritos juris interpretes affirmare, eſſe aliquam vel cum latrone juris ſocietatem; ut cui ex jure gentium depoſitum ſit reddendum; ergo à pari & promiſſum ſolvendum. *Secundò*, etſi latroni nihil deberetur, ut perſonæ indignæ; qua ratione nudæ promiſſionis exſolutio poſſet fortaſſis excuſatiùs evitari: at Deo ſaltem præſtandam eſſe fidem. Objiciunt *ſecundò*, iſto pacto honeſtum civem à ſceleratis hominibus ſpoliari; quod cedit in malum publicum. Reſpondeo, imò verò honeſti civis vitam ſervari, quod cedit in bonum publicum. Aſt latrocinia, inquiunt *tertiò*, & rapinæ hac ratione ſtabilientur, ſi latronibus non modò impunè erit, ſed & laute. Reſpondeo, id ſi fiat, per accidens fieri ipſorum vitio, non illius; qui nec juvit ullo modo latrones, nec vel probavit promittendo vel probat promiſſum ſervando ipſorum factum; quin potius dum conſuluit ſibi, ipſorum quoq; ſcelera ita impedivit, ut latrones eſſent ſolùm, non item homicidæ. Objiciunt *quartò* Obligationem juramenti oriri ex actu judicii & voluntatis deliberatæ: ergo ubi voluntas non eſt libera, ita ut non tam actio dicenda ſit quàm coactio, nullam videri ſequi [1] obligationem. Reſpondeo, Voluntatem cogi non poſſe, & hoc ab omnibus agnoſci. Poteſt quidem eſſe coactio ex parte principii actionis externi & remoti; ſed ex parte principii proximi, quæ eſt in omnibus actibus humanis voluntas, nulla poteſt eſſe coactio. Juramentum ergo qui facit latroni, ut vitam ſervet volens facit, ἑκὼν ἀκοντί γε θυμῷ. Non eſt ergo ejuſmodi juramentum ἁπλῶς ἀκούσιον ſimpliciter involuntarium, ſed mixtim; quod Ariſtoteli μὴ ἑκούσιον dicitur: actio ſcil. partim invita, quia ſit non libenter; partim voluntaria, quia

[1] *Nemò jurejurando tenetur, quia ei neceſſitatem adactus eſt.* Sen. 1. controv. 6.

quia fit cum electione, etsi non liberrimà, liberâ tamen satis ad hoc ut dici mereatur potiùs voluntaria quàm involuntaria ; quia agens datâ sibi duorum optione potestatem habet eligendi utrum ex his malit. *Et vult, qui mavult.* Non ergo rectè dicitur eum coactum juravisse, qui cum poterat non juravisse maluit jurare. Morte enim interminatâ ni juraret, permissum est ipsius arbitrio, mallétne damnum interminatum pati, an juramenti obligatione ab illo damno liberari. Deliberavit, elegit obligari : ergo obligari voluit : & qui se voluisse obligari fatetur, absurde dixerit [x] *se coactum esse*, & propterea non obligari. Objiciunt *quintò*, Latroni nihil deberi, & proinde viatorem non obligari, cùm omnibus obligatio dicat relationem ad debitum, ut ante dictum est : Latroni autem nil deberi probatur, quia nullum jus fundatur in injuria, & iniquissimum videtur ut quis ex facto suo injurioso jus aliquod sibi adquirat : ergo latroni, qui metum viatori incussit & contra bonos mores extorsit ab eo Juramentum iniquum, jus nullum accrescit, proinde nec qui juravit obligatur. Respondeo, exurgere posse à Juramento *duplicem obligationem* : unam *homini* cui juratur, ut parti ; *Deo* per quam juratur alteram, ut testi & vindici. Multa possunt impedire priorem illam obligationem, ut aut jus nullum consequatur is cui juratur, nec ei quidquam in foro conscientiæ ex æquo bono à jurante debeatur : & de istoc obligationis & debiti genere procedit objectio. Verùm cessante obligatione respectu hominis injuriam aut vim inferentis, manet tamen Deo facta obligatio : cui & *irreverentia* fit, siquis juramentum admittat non intendens implere ; & *injuria*, si admissum insuper habeatur.

[x] ἐ μὰν ἐξ ἧς πὸ βιβλίας φάσκει, ἱκανὸν εἰς μαρτύριον. Nazian. epist. 219.

XVII. Restat unus adhuc *Casus*, huic loco peculiaris : siquis incidens in latrones cogatur, ne *Casus* XXXI.

ab eis occidatur, juramento ſilentium promittere; ſc. nunquam ſe ipſorum latrocinia cuiquam revelaturum, aut nomina magiſtratui proditurum. *Difficile eſt hoc in genere aliquid ſtatuere*, inquit Frederdericus Baldwinus, Profeſſor non ita pridem Wittenbergenſis: ſed addit *tutius ſibi videri ſi ſilentium non præſtet*, ſed magiſtratui indicet, etſi juraverit ſe non indicaturum. Cenſet itaq; iſtiuſmodi juramentum non obligare; & affert ſuæ ſententiæ tres rationes: quarum nulla mihi fatisfacit, ut ſunt ab eo propoſitæ, breviter & nudè ſine ulteriore confirmatione. *Primò* ait, Juramentum hoc eſſe de re illicitâ. Si id conſtaret, confecta res eſſet, nec opus eſſet aliis argumentis. Sed hoc ab eo ſumitur, non probatur. Si eò putetur eſſe illicitum, quia officium eſt boni civis homines facinoroſos ad magiſtratum deferre, ut ſupplicio quod commeriti ſunt afficiantur: conceditur id quidem, ſed non propterea ſequitur ſemper peccatum eſſe non deferre; cùm præcepta officiorum affirmativa obligent ad ea præſtanda non ſimpliciter, ſed cùm poſſumus & expedit pro exigentiâ circumſtantiarum. Dicit *ſecundò*, tale juramentum *videre habere ſpeciem quandam* colluſionis cum latronibus. Quod eſt ab eo ita timidè pronunciatum, ut non debeat putari multum fiduciæ poſuiſſe in hoc argumento, [*Speciem* colluſionis, ſpeciem *quandam* & *videtur* habere.] Quod ſive ſit verum, ſive non: quis interim probaverit non licere homini viatori, ſi inciderit in latrones, in aperto vitæ periculo aliquid facere quod *videtur* habere cum eis *ſpeciem quandam* colluſionis. Quod tertio loco affert hoc ſilentio juſtitiam impediri, improbos in impietate ſua confirmari, alios hac occaſione induci poſſe in diſcrimen vitæ: valeret quidem, ſi ex eorum manibus ſalvus & injuratus evaſiſſet. Atqui ſupponimus, ni juraſſet, occidendum. Quæro ergo,

licuitne

Licuitne ei in tam certo vitæ discrimine jurare silentium, vel non licuit: Si non licuit,(& sanè duo priora argumenta aut id efficiunt, aut nihili sunt) certò pereundum ei fuit; & quis tum supereſſet qui magistratui latrones indicaret? Quæ ex ipsius silentio incommoda sequi objiciuntur, ex ipsius morte (cum mortuis indictum sit perpetuum silentium) non essent eadem insecutura? At si licuit jurare, licebit & juramentum observare: nisi fortè (quod fieri potest) casus aliquis insperatò emergens rem quo tempore jurabatur licitam reddiderit postea ex accidente illicitam. Stet ergo, donec contrarium firmioribus rationibus probetur, & in hoc casu & in cæteris ubi vigent dolus, metus, tyrannis & similia; virum bonum aut non debuisse jurare (quod durum videtur summo in vitæ discrimine, si res ipsa non sit illicita) aut debere quod juravit religiosè observare. Atque hactenus de Juramenti causâ Efficiente. In quâ pertractandâ volueram esse brevior, sed res non tulit. Excrevit stylus dum ista meditor longiùs quàm expectabam; & tamen non pauca quæ possent utiliter dici, cum brevitati consulo, prudens prætermisi.

PRÆ-

PRÆLECTIO QUINTA.

De Juramenti Forma Externa Continens Casus Decem.

SUMMARIUM.

1. *Juramentum per sola signa sine verbis.*
2. *Juramentum per Creaturam.*
3. *Juramentum per Idola.*
4. *Utrum juratum sit nécne, ut dignoscatur.*
5. ——— κειτήειον *Primum; forma verborum.*
6. ——— *Secundum; vis verborum.*
7. *Obiter de Josephi illa formula,* Per vitam Pharaonis.
8. ——— *Tertium* κειτήειον, *Mos gentis.*
9. ——— *Quartum, intentio jurantis.*
10. *Dictorum Criteriorum usus.*
11. *Solennis juramenti Ritus.*
12. *Solennitas an augeat Obligationem.*
13. *Juramenti solennitas omissa.*

SECT. I.

DE Juramenti Causis *Materiali* & *Efficienti*, in superioribus actum est: de *Causa Formali* nunc agendum. Cum autem duplex sit rei alicujus *Forma*; *Externa*, & *Interna*: quæ hujus sunt classis, ut duo capita ita revocanda sunt, ut quæ ad Juramenti verba aut signa pertinent, eò quod

quod ſenſibus exterioribus percipiantur, *Externæ formæ* nomine veniant; quæ vero ad ejuſdem ſenſum & interpretationem, quod interioris mentis eſt opus, *Formæ Internæ*. Reſpectu Externæ Formæ, Juramentum aut ſignis ſolùm conſtat, aut verbis ſolum, aut utriſque. Dubium itaque primum eſt de eo juramento, quod ſigno ſolùm ſine verbis. Fuerunt qui exiſtimarent, niſi expreſsè adhibito aut verbo *Juro*, aut Dei nomine, dicendo *Juro* me facturum, vel *per Deum* faciam, *Deum Teſtor*, *Ita me Deus adjuvet*, vel quid ſimile; nudam eſſe promiſſionem, non item Juramentum: & proinde obligare quidem ſub pœna mendacii, ſed non ſub pœna perjurii; ita ut qui non fecerit quod pollicitus eſt, reus ſit violatæ fidei, quæ & in promiſſionibus eſt ſervanda, non autem ejus religionis quæ in juramento eſt. Dicitur & *Bartolus* à Caſuiſtis in ea fuiſſe ſententia, ut putaret verba ſaltem aliqua ad juramenti rationem ſic eſſe neceſſaria, ut niſi verbis prolatis fiat teſtificatio, non ſit formaliter, juramentum, nec eo nomine obliget. Sed meritò ab omnibus rejicitur utraque ſententia. Cum enim verborum præcipuus uſus ſit, εἰς τὸ ἑρμηνεῦσαι, ut ſcil. interpretes ſint τῶν ἐν τῇ ψυχῇ νοημάτων, eorum conceptuum qui in mente ſunt, & quorum ſunt ſigna: ſi fieri poſſet ut illi mentis conceptus (etſi minùs fortaſſis commodè, ſufficienter tamen) aliqua alia ratione, ut ſcripto, nutibus, aliiſve indiciis, ita ſignificentur, ut ab aliis intelligantur: nulla cogit neceſſitas ut verbis prolatis opus ſiet. Sic muti, & quibus reſecta eſt lingua, & qui ex gravi morbo, vel jam morituri ſermonis uſum amiſerunt, ſi debeant aut matrimonium contrahere, aut teſtamentum condere, aut aliud quodvis præſtare, quod ſine clarâ & indubitatâ aſſenſus ſui ſignificatione fieri non poteſt; cum vivâ voce non poſſunt, ſolent nutu, manu

Caſus XXXII.

manu sublevatâ, aut alio id genus indicio mentem suam interrogantibus significare. Quæ significatio non minùs valida est ad omnem juris effectum, quàm ea quæ vivâ voce fit. Eadem prorsus & juramenti ratio est: in quo modò Deus quoquo modo testis invocetur, sive id ab aliquo expressè fiat verbis prolatis, sive tacitè signis quibusque sufficientibus ad hoc, ut hi quorum interest manifestè intelligant velle eum, interposito Deo teste, fidem suam obligare; ejusmodi actus & formaliter juramentum est, & omninò sufficit ad inducendam obligationem in conscientia. Quò facit quem adducit è vetere Comico senarium Johannes Stobæus, [1] Ὅρκος βέβαιός ἐστι, κἂν νοΐσῳ μόνῃ, *Firmum est juramentum, si vel animo solum.* Frustra ergo est, & egregius sui [2] impostor, siquis se juramenti vinculo aut penitus solutum, aut saltem laxius obligatum eò putet, quòd verbum nullum juratorium emiserit. Si alteri, quasi Deo teste & arbitro, [3] *interroganti* ita se gesserit, omninò assensisse videretur; vel, si ubi utile ei esset (respectu alicujus temporalis commodi) videri *in aliena verba* jurasse, amici alicujus operâ sciens lubens usus fuerit, qui falsò licet, testaretur tamen ipsum ita jurasse; ligavit eo facto ligamen super animam suam, & secundùm omne quod egressum est ex interrogantis vel exigentis ore facere tenetur non minùs, quàm si egressum esset ex ore suo, si res sit licita & præstari debeat: si illicitam sciverit, non poterit isthoc artificio perjurii crimen devitare.

II. Porrò, ut signo solo potest sine verbis, ita solis verbis potest & sæpissimè solet sine signis perrari: cùm in aliis, tum vel maximè in iis juramentis, quæ incautis in sermone communi excidunt. Verba autem juramenti duobus adhuc modis considerari possunt: vel quantum ad res per quas jurat

[1] Ser. 25.
[2] παίζειν δὲ πολλοὶ δοκοῦσι, ὅταν ἐπὶ ῥήμασι δίκαια τῶν ῥημάτων [3] sic corrigente Montacutio, qd. ante ῥημάτων legebatur) ἐφορῶσιν· ἀλλ' οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνουσι. Nazian. epist. 219.
[3] ὅρκῳ ὀμόσῃ τις ἢ τῷ ἐπιφράσαι δοκεῖν ἢ πιθανῷ τινι ἀληθείᾳ. Ibid.

atur, vel quoad exprimendi modum & formulas quendi quibus juratur. *Dubium* ergo *Secundum* ſt de Obligatione Juramenti, ratione ejus ſive rei ſive perſonæ per quam juratur: ubi duo occurunt Caſus. *Caſus prior* eſt, an & quatenus obligetur qui jurat per aliquam creaturam? Certum nim eſt & ab omnibus conceditur, & licitum eſſe & obligatorium Juramentum per Deum creatorem factum: Sed de Juramento per Creaturam nonnulla eſt dubitatio. Pro reſponſione tamen dico *primò*, Jurare per creaturam abſolutè, ultimatè, & terminativè, ita ut conſtituatur in aliquâ creaturâ finis & vis juramenti ſine relatione ad Deum, *ſimpliciter illicitum* eſſe. Ratio manifeſta: quia exhibetur eo pacto Creaturæ reverentia ſoli Deo debita. Juramentum enim (ut antè dictum eſt) eſt cultus Latriæ, qui non debet exhiberi ulli creaturæ: quatenus jurans invocando Deum teſtem & vindicem, ipſo facto agnoſcit eum & cordis inſpectorem, ut qui ſciat an mens conſentiat verbis; & juſtiſſimum ac potentiſſimum peccatorum cordis punitorem: quorum neutrum rei cuicunq; creatæ poteſt competere. Imò iſtiuſmodi Juramentum eſſet, vel ex ipſorum Pontificiorum confeſſione, planè Idololatricum. Dico *ſecundò*, Jurare per Creaturas relativè & quaſi tranſitivè, ut ſolent Pontificii, per B. Virginem, & alios Sanctos Sanctorumve reliquias; hoc eſt (ut ipſi exponunt) non ultimatè & terminativè, ita ut cultus in ipſis terminetur, ſed relativè & tranſitivè, ita ut ipſos pertranſeat & per ipſos deferatur finaliter ad Deum: dico inquam, hoc eſſe ſaltem ſuperſtitioſum. Quia nullo aut rationis lumine, aut Scripturæ teſtimonio conſtat, ullam Creaturam, quantumvis ſanctam, habere concreditam ſive delegatam ſibi à Deo poteſtatem, vel cognoſcendi corda hominum, vel puniendi eorum perjuria. *Caſ.* XXXIII.

Dico

Dico *Tertiò*, inter jurandum tacito Dei nomine alicujus Creaturæ mentionem facere, ut ſiquis juraret *per caput, per animam, per ſalutem ſuam*, aut *per hunc ignem vel panem*, &c. (etſi propter periculum ſcandali, & quòd mali ſpeciem aliquam habere videatur, conſultius eſſet ab ejuſmodi formulis omnino abſtinere) non tamen videri ſimpliciter illicitum præcisè ab hoc quod per ſolum Deum ſit jurandum. Ratio eſt: quia per iſtas formulas aut non juratur omninò, aut per Deum ſolum juratur. Quod ut clariùs intelligatur, ne videar aut aliquid novi & ſuſpecti dogmatis invexiſſe in Eccleſiam, aut execrandæ illi jurandi per creaturas conſuetudini, quæ paſſim (proh dolor!) nimium quantum invaluit, veniam indulſiſſe: Sciendum eſt in iſtiuſmodi formulis, in quibus fit Creaturæ alicujus mentio, quaſi per modum jurandi, per Deum tamen revera ſæpe jurari interpretativè. Ut in omnibus iis quæ ex communi more concipiendi habent in ſe vim quandam execratoriam: ut *per animam, per ſalutem meam*, hoc vel illud faciam: quæ ſunt perinde intelligenda acſi diceretur, *Ne ſit Deus animæ meæ propitius, Ne mihi Deus ſalutem donet æternam*, ni fecero. Itémque in his in quibus res eæ nominantur, quæ ſunt aptæ ex ſui natura ſpeciatim, nos excitare ad aliquam recordationem Dei: quomodo cum Judæi olim jurabant *Per Cælum, Per hanc ſacram victimam*, &c. id illi aut intelligebant, aut intelligere debebant, acſi dixiſſent, *Per Deum cujus eſt in Cælo thronus, Per Deum cui hæc ſacra fiunt*, &c. Aſt ubi ejuſmodi rerum nomina adhibentur, quæ non habent ex naturâ ſui aliquam ſpecialem vel propinquam aptitudinem excitandi in nobis cogitationem aliquam de Deo, nec videntur implicare aliquid execratorium; ut ſiquis ad menſam vel ante focum juraret, *Per hunc panem, Per hunc ignem*, &c. etiſi propter

opter modum exprimendi videantur iſtiuſmodi rmulæ juramenti ſpeciem habere: revera tamen interpretativè non ſunt Juramenta, ſed meræ otiùs obteſtationes, ut in dubio tertio mox pleiùs explicabitur. Dico *quartò*, omne Juramenm quod per creaturas fieri videtur, ſive licitè, ve illicitè, hoc eſt, ſive terminetur in creatura ſicut eſt cultus Imaginum apud vulgus Pontifiorum) quod eſt Idololatricum; ſive juretur per reaturam tranſitivè, ut inde mediatè & ultimatè eferatur ad Deum (quâ argutiolâ doctiores Ponficii ſuam εἰδωλολατρείαν tueri conantur) quod men eſt ſuperſtitioſum; ſive implicitè & interretativè per Deum fiat, adhibito tamen creaturæ omine: ſi modò fiat revera & *formaliter Juramentum*, & non tantùm *Obteſtatio*; non minùs obgare jurantem ad faciendum id quod promiſit, uam ſi per Deum ipſum diſertis verbis juratum iſſet. Cujus ratio eſt, quia in omni Juramento, quod revera & formaliter eſt tale, Deus aliquo modo teſtis advocatur. Dico *quintò*, ut poſit fortaſſis ex his quæ jam dicta ſunt, aliquo modo defendi Juramenta iſtiuſmodi non eſſe ſimpliciter & de toto genere illicita, ſi ſaltem eo etiam uo dictum eſt modo intelligantur: tamen cum ertum ſit ea nihilo eſſe minùs obligatoria, quàm lia, nec ulla cogat neceſſitas ut iis utamur, (quia oſſumus ubi juramento eſt opus, aliis uti formuis, & ubi non eſt opus, oportet omninò non juare) videri eſſe officium hominis Chriſtiani, quiſquis conſcientiæ ſuæ tranquillitati ſeriò conſultum upit, ab ejuſmodi formulis prorſus abſtinere. Id uod iis omnibus non ægrè perſuaſum fore exiſtino, qui earum aut originem aut exitum penitùs uerint contemplati. Originem debent, partim haldæorum, Ægyptiorum, aliarúmque ſuperſtioſarum gentium Idolomaniæ, qui per *Solem*, *Ignem*,

nem, & alias creaturas, quas pro Diis habuerunt velut per numina jurarunt : partim reverentiæ nominis & majeſtatis divinæ apud populum Dei; quæ initio fortaſſis pia & juſta, decurſu temporis paulatim abiit in eam ſuperſtitionem, auctâ præſertim ex prava conſuetudine jurandi libidine, ut ordinariè, mallent per obvia quævis jurare, quam ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν, ut loquitur Philo, *ad rerum Univerſarum conditorem & patrem procurrere.* Quod & veteres *Græcos* (quorum pleroſque ritus & mores a Hebræorum æmulatione fluxiſſe quivis poteſt facilè obſervare) feciſſe adnotarunt Græcorum Poſtarum Scholiaſtæ : qui eos non ſolitos ſcribunt περιττῶς καλὰ τῶν θεῶν ὀμνύειν, facile per Deos jurare, ἀλλὰ καλὰ τῶν προυσχανόντων per ea quæ præſtò erant ad manum aut ante oculos, ut panem, ignem, aquam, avem, ſceptrum aut quid ſimile. At quod ex divini numinis reverentiâ quadam ortum videtur, abiit tandem in ſummam ejus irreverentiam & contemptum : ut ferè videre eſt aſtu Diaboli, & juſto Dei peccati peccata punientis judicio : pietatem poſtquam degenerare cœperit in ſuperſtitionem, exire tandem in apertam impietatem. Etenim poſtquam ex ſuperſtitione jurari cœptum eſt per creaturas ; tandem increvit licentiæ jurandi cacoethes, ut dum à Dei nomine temperarent, non ſibi homines aut jurandi metam ullam figerent, aut ullo perjerandi metu ducerentur. *Qui ſceptrum non putat eſſe Deos*, ut ille loquitur, putat & licere ſibi per *ſceptrum* juranti ſecus facere, quam ſi per Deos juratum fuiſſet. De Manichæis ita Auguſtinus : *Jurabant ſæpiſſimè, nulloque mentis ſcrupulo per Creaturas.* Et proculdubio apud Judæos, ex quo invaluit mos iſte jurandi per creaturas, plurimum imminutam fuiſſe jurisjurandi reverentiam, è Chri-

ὦμνυέ τ' ἐδήλις τοτ' ἀνθρώπων θεὸν ἀλλ' ὀμνύναι ἄττα τιν. *Ariſtoph. in Avib. ubi Scholiaſtes decet ex 12. Creticorum Socratis, id fuiſſe à Rhadamantho inſtitutum.*

ἔρχεσθαι σκήπτρῳ, καθ' ὃ ὤμνυον οἱ βασιλεῖς. Suid. 19. contra Fauſt. 2. ὄμνυσιν ὅτι κἂν τὸν Δία ὅταν ἐξαπατᾷ τις τί. *Ariſtoph. in Avibus.*

ſi verbis, *Matth.* c. 5. & 23. apertiſſimè conſtat. Quorum verborum ex utriuſque loci collatione is videtur eſſe ſcopus, ut duplicem (fortè an & triplicem) ipſorum errorem corrigeret. *Primùm*, quòd ſibi, modò à Dei nomine abſtineretur, in rebus quamvis leviculis, jurandi libertatem & παῤῥησίαν quandam concederent. *Alterum*, quòd putarent jurando non peccari, ſi per Deum juraretur, modò verum eſſet quod juraretur. *Tertium*, quòd exiſtimarent non eſſe perjurium, etſi res falſa juraretur, dum per creaturas id fieret, non autem per Deum. Sic enim illi perperam interpretabantur quod dictum erat, *Non pejerabis, ſed reddes Domino jusjurandum tuum.* Docet itaque Chriſtus Juramenta illa, in quibus rei alicujus creatæ, non item Dei nomen aſſumitur, non eſſe propterea aut minùs verè Juramenta, aut minùs obligatoria, quàm illa in quibus per ipſum Deum diſertim juratur. Et hæc de priore Caſu dicta ſunto.

III. *Caſus poſterior* eſt, cum per idola aut falſos deos juratur. Pro ſolutione dubii in hoc caſu, dico *primò*, ejuſmodi juramenta eſſe ſimpliciter illicita & planè idololatrica, & à Deo expreſsè prohibita. Deferunt enim cultum ſoli vero Deo debitum diis non veris ; contra præceptum Dei, Deut. 6. 13. *Deum tuum timebis & ipſi ſoli ſervies, & jurabis per nomen ejus.* Et graviter Deus ipſe, Jer. 5. 9. improperat populo ſuo hoc peccatum : *Quomodo*, inquit, *propitius ſim tibi? Filii tui dereliquerunt me, & juraverunt per eos qui non ſunt dii.* Dico *ſecundò*, Juramentum ejuſmodi ſub pœna perjurii obligare, & [1] ſervari debere : ita ut perjurus ſit qui fidem ſic datam feſellerit in re licitâ. Quo facit illud Auguſtini, [2] *Quia juravit per quos non debuit, & contra pollicitam ſibi fecerat quod non debuit, his utique peccavit :* Caſ. XXXIV.

[1] *Jurejurando, quod propria ſuperſtitione juratum eſt, ſtandum.* l. 5. ſ. 1. ff. de jurejur.

[2] Epiſt. 154.

Et iterum [1] *Es qui per lapidem jurat, ſi falſum jurat, perjurus eſt.* Si objicies, non eſſe hoc Juramentum, quia Deus teſtis non advocatur, ſiquidem deus falſus non eſt Deus; & proinde non obligare. Reſpondeo, etſi Deus falſus ſit revera non Deus, (quia ut verum convertitur cum Ente, ſic falſum convertitur cum Non-ente) eſt tamen Deus opinione ipſius qui jurat: quod ſufficit ad inducendam obligationem: Et proinde tale Juramentum eſt ex hypotheſi verum Juramentum; ſuppoſitâ ſcil. erroneâ jurantis conſcientiâ: quatenus tenetur in conſcientiâ ſuâ id præſtare quilibet; quod ſecundùm conſcientiæ ſuæ judicium juramento firmavit. Deus enim verus, ſi fides vel per falſum Deum facta violetur, in ſuam injuriam id factum interpretatur: quia ſcilicet jurans [2] *quanquam ſub falſis notis, generali tamen complexione numen divinum intuetur.* Unde D. Auguſtinus, [3] *Non te audit lapis loquentem; ſed punit Deus fallentem.* Reſpicit ut opinor, ſolennem illum ritum Romanorum, quo jurans lapidem ſilicem manu tenens hæc verba prolocutus, *Si ſciens fallo, ita me Jupiter bonis omnibus ejiciat, ut ego hunc lapidem,* protinus lapidem à ſe projecit: quod qui fecit, [4] *Jovem lapidem jurare* dicebatur. Qui ergo per Deum falſum pejerat, vindicem perjurii ſentiet Deum verum, [5] ὡς κλαφεγήσας ὀνόματος, ut ait author libri Sapientiæ, *tanquam numinis & religionis contemptor.* Imò ita fidenter pronunciat hac in re D. Auguſtinus, ut non vereatur affirmare, [6] *ſine ulla dubitatione minus malum eſſe jurare per Deum falſum veraciter, quam fallaciter per Deum verum.* Quod ejus dictum non eſt ἁπλῶς & omni ex parte intelligendum; ſed ſecundum quid, & præciſe quoad rationem mendacii & perjurii, quod ſolum ibi conſideravit. Dico *tertiò*, ex hac vi obligatoria talis juramenti pender

1 Ibid.

2 Grot. 2. de jur. bel. 13.

3 Ep. 154.

4 *Meminit Plutarch. in Sylla; & Polybius, cujus interpres* bis per lapidem *vertit* per Jovem lapidem: *deceptus ut videtur à Græco exemplari, in quo pro* Διὰ λίθου *reperit* διὰ λίθον, V. Paul. Leopard. 6 Emendat. 15.

5 Sap. 14. 20.

6 Ubi ſup.

pendere ſolutionem illius quæſtionis quæ à Publicola quodam propoſita fuit B. Auguſtino, & ab illo fusè tractatur totâ Epiſtolâ 154. *Liceátne ab eo exigere jusjurandum, quem ſcimus juraturum per idola?* Quod ille licere confirmat, cùm exemplo *Abrahæ*, qui fœdus cum Abimelecho pactum dato acceptóque viciſſim juramento confirmavit, *Gen.* 21. quod & à *Jacobo* itidem poſtea factum cum Labane, *Gen.* 31. tum etiam ratione; quia aliàs nulla eſſet ratio accommoda paciſcendi fœdera, aut conſervandæ fidei & pacis publicæ cum homine idololatra: nec ſit ullâ Dei lege prohibitum uti illius fide in bonum, qui per falſos Deos malè jurat. Si dicatur, hoc eſſe communicare malo alieno: reſpondet Auguſtinus —— Non per hoc peccato ejus ſe ſociare, quo per dæmonia juravit; ſed tantùm bono pacto ejus qui fidem dedit, & ſervavit. Et de ſecundo dubio hactenus. Gen. 21. 31; 32. Gen. 31 31. &c.

IV. Sequitur *Dubium Tertium*; quod reſpicit Juramentum, quantum ad modum exprimendi, & jurandi Formulas. Ratio dubitandi eſt, quòd cum certum ſit omne id quod eſt verè & formaliter Juramentum obligare ſub culpa & pœna perjurii, non item illas formulas quæ non ſunt Juramenta, opus eſt, ut ex illis formulis quæ Juramenti ſpeciem habere videntur; certo aliquo charactere vel notâ internoſcere valeamus; quænam ſint & quæ non ſint propriè & formaliter Juramenta. Quâ in re fateor Caſuiſtarum, quotquot licuit in hac temporis anguſtiâ conſulere, mihi neminem ſatisfacere: qui hanc quæſtionem partim leviter attigerunt, partim non ſatis diſtinctè tractarunt. Ut ergo diſtinctius aliquid hac de re, quantum ad alia feſtinanti licebit, proponam: Sciendum nudæ aſſertioni vel promiſſioni ſuperaddi plerunque ad fidem faciendam, aliquam quaſi confirmationem:

firmationem : idque aut *Asseveratione*, aut *Obtestatione*, aut demum *Juramento*. Quæ tria, etsi videri possunt non multum inter se distare, & *gradu* potius quàm *specie* differre ; revera tamen intrinsecè, formaliter, & specificè ad invicem distinguuntur. Verùm est illa distinctio, ob affinitatem, & finis in quem tendunt, & vocum quibus exprimuntur, adeò sæpè obscura, ut difficile sit tria ista aut non penitus confundere, aut dextrè & peritè distinguere. Itaque quò melius isthæc internoscantur : quatuor mihi videntur esse considerandæ, ex quibus velut criteriis de qualibet loquendi formulâ sitne Juramentum, an Obtestatio, an Asseveratio tantùm, poterimus aliquatenus dijudicare. Forma scil. verborum, eorundem propria & genuina vis, Mos gentis, & Intentio ipsius jurantis.

Casus XXXV. V. *Primò*, ex ipsa *verborum formâ* quandoque satis constare potest, utrum juratum sit, vel non. *Juro mihi te daturum centum. Juro* : vel *per Deum* dabo : vel *Deo teste* aut *coram Deo* spondeo me daturum : vel Dabo, *ita me Deus adjuvet* ; aut aliquid simile si respondeatur, quin juratum sit nemini potest esse dubium. Obligatur proinde, qui istiusmodi aliquâ loquendi formulâ usus fuerit, ipso facto : & si rem promissam non fecerit, perjurii reus est. Ast illud. *Dabin' mihi centum? Dabo* : nudam esse *Promissionem* vel ipsa verba ostendunt, nullâ adjectâ ulteriore datæ fidei confirmatione. *Dixti mihi te daturum centum? Dabisne? Certè dabo : crede mihi non fallam.* Accessit quidem Promissioni aliqua confirmatio : sed ex ipsa verborum forma satis constat hanc esse meram *Asseverationem*, non autem Juramentum, imo ne Obtestatio quidem : quum nec Deus testis adducatur, nec aliquod aliud fidei velut pignus. *Quæ mihi pollicitus es centum, quî sciam te daturum*

†

rum? Cape hanc dextram; Fide boni viri dabo; *quàm certum eſt ſolem hunc lucere*, faciam; *nulla mihi ſit apud te in poſterum fides*, ni fecero, &c. Plus quam meram Aſſeverationem iſta continere verba ipſa indicant, nondum tamen juratum eſſe. Sunt ergo potius *Obteſtationes* dicendæ: in quibus ſcil. ad rei promiſſæ vel etiam aſſeveratæ, ulteriorem confirmationem, rem aliquam nobis charam, aut omnibus certam & manifeſtam, quaſi fidei noſtræ pignus interponimus. Ubi ergo ex ipſa verborum forma liquidò ſatis conſtare poteſt, ſitne id quod ad confirmandam promiſſionem aſſumitur, propriè *Juramentum*, vel *Aſſeveratio* mera; vel etiam *Obteſtatio*; non opus erit ulteriori diſquiſitione.

VI. Sed quia ſæpiſſimè contingit, ob formularum ſimilitudinem, vel ambiguam alicujus vocabuli ſignificationem, vel ſignificandi latitudinem; vel aliâ aliquâ de causâ, ut non poſſit ex verbis prolatis ſit nécne juratum certò dijudicari: attendi debet *ſecundo* loco *verborum propria vis* & genuinus ſenſus, atque inde ſumi judicium. Videri enim poteſt ex formâ verborum, illas omnes locutiones, in quibus aut Dei nomen adhibetur, aut τὰ Gracorum cum accuſativo caſu, aut Latinum *Per*, aut Anglicum By, eſſe formaliter Juramenta. Quâ ſolâ ratione adductus Soto putavit tantum eſſe diſcriminis inter has formulas, *Per fidem*, & *In fide*; *Per veritatem* & *In veritate*, ut illas diceret eſſe formaliter Juramenta, non item iſtas. At ſi verborum vis & genuinus ſenſus penitùs inſpiciatur, nullum erit diſcrimen inter præpoſitiones *Per* & *In*, ſi ad eandem rem applicentur: ſed prout res cui applicantur ſacra erit vel civilis, perinde de utrâque judicari debet. Illa ergo formula *Per Deum* eſt ex vi verborum propriè Juramentum: quia res ſacra eſt Dei nomen, & qui ſic

Caſ. XXXVI.

loquitur, Deum inducit teſtem. Aſt illa *Per Fidem* (etſi ex more alicujus gentis, aut intentione dicentis poterit eſſe Juramentum) non eſt tamen Juramentum ex vi verborum, ſed *Aſſeveratio* tantùm, vel ad plurimum *Obteſtatio*. Quia fides humana non eſt res ſacra, ſed civilis: & qui ſic loquitur non adducit Deum teſtem, ſed tantùm pronunciat ſecundùm fidem ſuam, ſive declarat rem à ſe cum animi deliberatione ſeriò & ſincerè dici. Iſtorum enim verborum *Per fidem meam*, ſive in aſſertoriâ ſive in promiſſoriâ materiâ, hæc eſt genuina expoſitio: *Ex animo loquor, verè id dico quod ſentio; pignoro tibi fidem meam rem ita ſe habere; ſi ſciens fallo, nulla mihi in poſterum fides habeatur*, &c. Non eſt ergo *fidei* interpoſitio ex vi verborum Juramentum; niſi forte ubi nos revocat ad Juramentum aliquod prius à nobis præſtitum; ut in hac Academiâ, cum poſtulatur quis ad interrogata reſpondere virtute juramenti ſub hac forma, *Tu dices fide tuâ datâ huic univerſitati* —— & cum indicuntur ſolenniter Convocationes, quibus intereſſe jubentur à Bedellis *Doctores, Magiſtri Regentes & non Regentes, Per fidem, per fidem, per fidem.* Quod idem mihi (etſi ſciam multos aliter ſentire) dicendum videtur de illo Paulino, *νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν per gloriationem noſtram quam habeo in Chriſto, quotidiè morior*: ſcilicet non eſſe propriè Juramentum, etſi illud *νὴ* adjunctum habeat, ſed ſeriam tantum aſſeverationem; ſe, ut morti ſemper obnoxium, ita quotidiè paratum eſſe, cum Deus voluerit, mori.

1 Cor. 15. 31.

VII. De illis autem Joſephi verbis ad fratres ſuos [1] *Per vitam Pharaonis exploratores eſtis*; de quibus variè diſputant interpretes; quid ſit ſentiendum, poterit fortaſſis ex his quæ jam dicta ſunt haud incommodè judicari. Sunt qui *Joſephum* diu jam inter aulicos *Pharaonis* verſatum (quaſi

[1] Gen. 42. 15.

Opin 1.

(quasi ipsi ex quotidiano convictu affricuissent ei aliquid de scabie sua) sic paulatim putant ipsorum moribus hac saltem ex parte assueviſſe, ut didicerit tandem ad ipsorum exemplar *per vitam Regis* jurare; quomodo soliti sunt posterioribus seculis Romani ex adulatione quadam jurare *per genium Imperatoris*. Sed non facile me patior de dictis factisque insignium pietate virorum sequiùs judicare quam res ipsa cogit. Video veterum pleroſque ita Sanctorum famæ detuliſſe, ut ingenio suo nimiùm indulserunt; dum eorum apertos lapsus honesto aliquo velamine excusare conantur. Errore saltem aliquantò honestiore, quàm est error eorum, qui postremo hoc seculo amant è diverso in piorum virorum lapsus curioſiùs inquirere, & ne desit quod calumnientur, vel recte facta pervertendo sincerum vas incrustare gestiunt. Mitiùs Opin. 2. aliquantò alii *Josephi* dictum illud interpretantur: eum, scil. quò rectiùs rem gereret & ne fratribus alicunde fortè suboleret quis esset, ni Ægyptiaci principis quam induerat personam peritè sustineret, formulam hanc jurandi Aulicis regiis familiarem, illâ tantum vice in compendium simulationis adhibuiſſe. At mihi non est volupe vel hanc culpam, etsi paulò leviorem, sanctiſſimo viro impingere sine necessitate. Tertia est eorum sententia, qui *Josephum* liberant quidem ab omni culpa: Opin. 3. sed eâ ratione, quòd putent ante interdicta à Christo id genus juramenta, licuiſſe cuivis sine peccato per creaturam jurare. Quam sententiam fateor mihi eatenus probari, quòd *Josephum* immunem culpæ statuat: Sed rationem illius sententiæ non probari. Nam *primò* non constat Christum interdixiſſe speciatim Juramenta per Creaturas, magis quàm ea quæ per Deum fiunt: Prohibuit enim utriusque generis omnia non necessaria. Nec opus fuit ista novo interdicto prohibe-

re, quæ ex ſe erant ſemper illicita. Et quod ſpeciatim dixit de Juramento per creaturas, eò tendit ut oſtendat ejuſmodi juramenta, contra quàm ſenſerant Judæi, ſi præſtita forent, non minus obligare quam quæ expreſſo Dei nomine fiunt. Secundò nec verum eſt licuiſſe piis ante Chriſtum, ex quadam diſpenſatione ſive indulgentiâ divinâ per creaturas jurare ; cum is cultus ſoli Deo debeatur, ut ex *Deut.* 6. & *Jerem.* 5. antè probatum eſt. Qui poſterior locus, etſi forſan eos qui per idola ſeu falſos Deos jurabant, peculiariter reſpiciat : vis tamen argumenti quo utitur Propheta, à genere ducti, eos etiam attinet, qui *per creaturas* jurant, quam & de Creaturis rectè dicatur quòd *non ſunt dii.* *Tertiò*, ipſius Juramenti natura, ut ex ejus definitione conſtat, cum requirat ut Deus teſtis advocetur, ſatis oſtendit nunquam licuiſſe per creaturas jurare : Vel ipſis Ethnicis fatentibus, qui θεῖον παράλημμα ad Juramenti eſſentiam pertinere docuerunt. Quæ cum ita ſint, nec videatur hac ratione ſatis commodè excuſari poſſe ab omni crimine *Joſephum* : reſtat quarta demum ſententia, quæ explicando genuinum ſenſum verborum Joſephi, cenſet eum non omnino juraſſe, & proinde nec malè jurando peccaſſe. Si enim tunc juraretur *per vitam Pharaonis* : aut vita Pharaonis ut teſtis adduceretur, quod eſt valdè ineptum ; aut aliquid execratorium vel imprecatorium in ſe contineret, quod quid ſit, ſine dura & coactâ admodum verborum interpretatione, non eſt facile hariolari. At verborum ejus facilis erit & ſimpliciſſimus ſenſus, ſi *indicativa oratione* ita exponantur, *Per vitam Pharaonis exploratores eſtis* ; id eſt, quam verum & certum eſt Pharaonem vivere tam verum & certum eſt vos eſſe exploratores quemadmodum iliud *per hunc ſolem qui lucet* verum tibi dico, idem valet, ac ſi diceretur, Tam verum

Jerem. 5. 7.

Ariſt lib. 2. Rhetor.

Cpin. 4.

verum eſt hoc quod ego tibi dico quàm verum eſt Solem hunc lucere. Quorum neutrum ut mihi videtur, eſt formaliter Juramentum ; ſed Aſſeveratio potiùs vehementiore obteſtatione confirmata. Non ſum neſcius ex adverſo adduci poſſe nonnulla : quæ etſi non ſint tanti, ut propterea mutandam eſſe putem ſententiam meam ; ſunt tamen tanti, ut propterea æquum eſſe cenſeam, cuique ut liberum fit ſequi ſententiam ſuam, modò non damnet alienam ; & hoc mihi interim concedat, *ex vi ſaltem verborum*, niſi aliunde conſtiterit non poſſe clarè evinci Joſephum jurejurando uſum eſſe : cum ipſa verba nullam contineant, aut invocationem teſtis, aut vindictæ poſtulationem.

VIII. Tertium dignoſcendi Juramenti κεκτήσεως eſt *Mos* alicujus *gentis*, loci, vel communitatis. Poteſt enim fieri, ut locutiones aliquæ, quas nec ex *forma*, nec *vi* & germano ſenſu verborum liquet eſſe Juramenta, ex uſu tamen recepto alicujus populi, & communi hominum exiſtimatione pro *Juramentis* habeantur : & ut illæ viciſſim, quas ex verbis judicares eſſe juramenta, habeantur pro *non juramentis*. Ratio eſt : quia verba proinde valent ac nummi ; Quæ utraq; non φύσει valent & *natura*, ſed θέσει, ſeu *Inſtituto* magis, at χρήσει ſive *uſu* vel maxime : hoc eſt, tanti ſunt utraque quanti æſtimantur. Cujus rei exemplum non eſt quòd aliunde quæramus, quam ex formulis quibuſdam noſtratibus. Quum enim *fidei* & *veritatis* (in hoc præſertim negotio) eadem ſit omnino ratio, ut qui veritate caret, careat & fide ; quique fide, & veritate : ea tamen opinio apud noſtræ gentis homines ex longo uſu invaluit, ut qui **In faith** dixerit juraſſe putetur, qui **In truth** non juraſſe ; &, quod non minus eſt à ratione alienum, ut **In truth** aſſeveratio mera habeatur *Cæ.* XXXVII.

By my troth etiam Juramentum. Cujus rei rationem ineptus esset qui quæreret, extra eam quæ ab usus est, [1] *Quem penès arbitrium est, & jus, & norma loquendi.* Unde sequitur eum, qui dum ad verborum solùm *formam* aut *vim* attendit, indulget sibi libertatem ejusmodi locutionibus in communi sermone utendi sine aliquo delectu vel scrupulo, quæ longo usu consecutæ sunt apud nos vim & æstimationem juris-jurandi, & præceptum Christi de non jurando violare, & fratri offendiculum præbere, & semet perjurii periculo exponere.

[1] Horat de art. poet.

Cas XXXVIII

IX. Quartum & ultimum dignoscendi Juramenti κριτήριον est mens & *Intentio jurantis.* Esto enim, non constet vel ex verbis istis, vel ex communi æstimatione hominum, aliquam sermonis formulam esse Juramentum: Siquis tamen ejusmodi formulâ usus, aut mentis suæ errore aliquo putet se jurasse, aut ex aliquâ dolosâ intentione velit putari jurasse; ea formula, etsi non sit revera & ex se Juramentum, habebit tamen quoad ipsum hominem, ad omnem obligandi effectum in conscientiâ Juramenti instar, ita ut non modò mendacii, sed & perjurii reus sit in foro interno, si fidem sic datam violaverit. Ut enim judice Apostolo, [2] qui æstimat aliquid esse κοινὸν, *commune* vel *impurum*, quod ex se non est κοινὸν, est illi tamen κοινὸν, ita ut ab eo teneatur abstinere, sicut à re verè communi & impurâ: Sic à lege contrariorum, qui aliquid æstimat esse ὅσιον id est *sacrum*, quod ex se ὅσιον non est, illi tamen ὅσιον, ita ut ab eo abstinere teneatur sicut à re verè sacrâ. Et si error mentis sufficit ad inducendam obligationem; multò magis mala voluntas fallendi proximam obligationem inducet. Quia justum est, ut vir impius & dolosus incidat in foveam quam fodit proximo suo, & ut illi laqueo quem tetendit alteri implicitus sit pes suus.

[2] Rom. 14. 14.

X. Quatuor

X. Quatuor eorum quæ nunc expoſui criteriorum uſus eſt, ſiquando quæſtio vel ſcrupulus oriatur in conſcientiâ, de aliquâ loquendi formulâ quæ videtur habere *ſpeciem Juramenti*, habeátne verè & formaliter *rationem*, & conſequenter *vim Obligatoriam Juramenti*, vel non? protinus ut ad hæc criteria recurratur, fiátque examen illius formulæ ad has velut notas Διαγνωστικὰς, idque eo quo propoſui ordine, incipiendo à primâ atque ita percurrendo ſiugulas, ſi opus fuerit: id eſt, niſi antè ex jam peracto examine ſatis conſtiterit quòd ſit Juramentum. Poteſt enim conſtare *affirmatio*, ſcil. quòd ſit Juramentum, ex unius alicujus notæ examine: at non poteſt conſtare negatio, niſi peracto ad ſingulas notas toto examine. Cujus examinis duplex eſt finis: alter antequam juretur, ut cogitet quiſque an expedia tejuſmodi formulâ uti, vel non: alter, poſtquam in ea verba juratum eſt, ut intelligat quantum obligetur.

XI. Egimus hactenus de Juramento eo, quod fit ſigno ſine verbis, & de eo quod fit verbis ſine ſigno: ſequitur Juramentum ex utriſque conjunctis. Adhibentur autem *cum verbis ſigna*, ob majorem vel ſolennitatem actus, vel dignitatem perſonæ. *Quartum* ergo *Dubium* eſt de Juramento ſolenni: ubi *Caſus primus* ſeu quæſtio prima eſt de ritibus & ceremoniis in ſolenni Juramento adhibitis. De ritibus Gentilium multi multa ſcripſere; quæ nec eſt aliàs operæ pretium, nec eſt præſentis inſtituti percenſere. Annotavit præcipuos quoſdam Alexander Neapolitanus, *lib.* 5. *Genial. dier. cap.* 10. Sanctiſſima habeantur illa, quæ [1] *aras Deorum tangentes* conceptis verbis jurabant: Illis proxima, quibus [2] *Jovem lapidem. Conceptis* autem *verbis* jurare dicuntur, qui verba Juramenti præſcripta recitant vel ſinguli, vel unus aliquis tantùm reliquis [3] *in ejus* præuntis *verba* conſenſum

Caſus XXXIX

[1] *Is, niſi aram tenens juraret nemo crederet.* Cic. pro Flacc. *& ut mos Græcorum eſt, jurandi cauſa ad aras accederet.* Id pro Balb.

[2] *Jovem lapidem inquit, quod ſanctiſſimum jusjurandum eſt habitum, paratus ſum jurare.* A. Gell. 1 Noct. Att. 21.

[3] *In verba jurabas mea.* Hor. Epod. 15. *... jurare in verba Magiſtri.* Id. 1. Epiſt. 1. *... Pavidus tribunus adjurat in quæ adactus eſt verba.* Liv. l. 7.

consensum suum [1] uno aut altero verbo signove significantibus. Apud veteres Hæbræos duo præcipuè ritus in sacris literis memorantur. Quorum alter peculiaris fuit iis juramentis ἐπακτοῖς quæ superiores pro authoritate suâ exigebant à suis inferioribus, ut mandata sua fideliter exequerentur. Cujus primum exemplum habetur, *Gen.* 24. ubi *Abraham* ab Oeconomo suo Juramentum exigens fidelitatis, de uxore filio suo deligenda, jubet eum [2] *manum femori suo supponere*. Quod idem facere jussit [3] *Jacobus*, jam moriturus, Josephum filium, *Gen.* 47. cum ei curam demandavit sepulturæ suæ in terra Canaanitide. Quem ritum sive observarint *in signum fidei*, qua credebant in semen benedictum egressurum de femore Abrahæ: sive *in commemorationem fœderis* quod ante pactum erat Abraha cum circumcideretur: sive alia quacunque de causa; non tamen legimus id ullo expresso Dei mandato niti. sed fuisse, quantum nobis quidem constare potest, liberæ omninò institutionis. Quò magis miremini illorum hominum perversam non sine superstitione severitatem, qui ritus omnes in cultu Dei, decoris & ordinis gratia ab hominibus sine expresso Dei mandato institutos damnant, ut execranda & in Ecclesiis Christianorum non ferenda idola. Alter populi Dei inter jurandum erat *elevatio manus dextræ cælum versùs* adhibita & in Juramentis ἐκκοπτοῖς quæ quis sponte suscepit & non ex alterius imperio. Quem [4] ritum, sive ex Hebræorum imitatione, ut plurima alia, sive ductu quodam naturæ quasi Deum intuentes, quem ὑπέρτερα δίκαια vocant crediderunt, plerarumq; gentium populi observarunt. Hujus utiq; ut & superioris [5] primum exemplum habemus in Historia ipsius *Abrahæ*, Gen. 14. sed & hoc nullo quod scimus speciali Dei mandato subnixum. Qui ritus nihilominus ita postea invaluit

[1] *Præjurationes facere dicuntur qui ante alios conceptis verbis jurant, post quos in eadem verba jurantes tantummodò decant, Idem in Me.* Festus.

[2] Gen. 24. 2.

[3] Gen. 47. 29.

[4] *Sustinens tendit q; ad sidera dextram, Hæc eadem Æneas, terram, mare, sidera juro.* Virgil, Æneid 12.

[5] Gen. 14. 22.

invaluit apud ejus posteros, ut per metonymiam adjuncti illa phrasis *levandi manum* pro ipso actu jurandi frequenter posita reperiatur, imo & vox ipsa ימין quæ propriè dextram significat, Hebræis & Arabicis pro juramento non rarò accipiatur. Unde aliqui ipsorum interpretes illa verba, *Ps.* 144. 8, & 11. de Juramento intelligunt, *Quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum est dextra iniquitatis*, vel potius *mendacii* sive *falsitatis*; id enim propriè significant Hebræa ימין שקר Quin & ipse Deus ubi ad modum humanum ἀνθρωποπαθῶς jurans inducitur, eo loquendi genere utitur, *Ego levo ad cælum manum meam, & juro in dextra mea*, Deut. 32. 40. ad quem ritum & alibi in libris Propheticis utriusque Testamenti non rarò alluſum. Quem proinde ritum iterum jure miremini, in Christianis Ecclesiis non tolerari modò, sed & approbari ab ipsissimis illis viris, qui tamen alios veteris Testamenti ritus (cum sint ejusdem rationis omnes, ut liciti pariter, aut pariter illiciti,) à Christianis usurpari adeo non probant, ut ne tolerent quidem, sed è cœtibus sacris penitus exterminandos clamitent. Quod attinet ad ritus Christianorum, ut reliquas priscæ Ecclesiæ ceremonias varias, variéque pro locorum & temporum varietate obsservatas missas faciam: Una ferè est quæ à prisco seculo ad nos usque derivata, etiamnum in usu est, scil. *ut tactis sacrosanctis Dei Evangeliis* in verba concepta juretur. Et hoc omne genus Juramenti, in quo præter verba prolata, adhibetur etiam aliquis externus visibilis motus corporalis: ut tactus altarium, femoris, aut libri, projectio lapidis, levatio manus, & similia, dici solet *Juramentum corporale*, Balsamoni σωματικὸς ὅρκος.

XII. De his ritibus qui in solennibus Juramentis solent adhiberi, *Casus secundus*, sive Quæstio secunda *Casus* XL.

da eſt, An & quatenus addant vim aliquam obligationi Jurisjurandi; Quod eſt quærere, An Juramentum *ſolemne & corporale fortiùs obliget* ſimplici: ita ut gravius ſit perjurium violati ſolennis Juramenti quam ſimplicis? Pro reſponſione dico, primò à Caſuiſtis non modo Pontificiæ partis ſed & Eccleſiarum Reformatarum concedi, Solennitatem actu aggravare peccatum in Juramento, perinde ac in Voto: quum ſit Juramenti & Voti in pleriſque, maximè in virtute obligandi conſimilis ratio, [1] *Jurare corporaliter plus eſt quàm inſtrumento aut nuda voce*, inquit ex illis quidam, & alius, [2] *Quantò plus creſcunt ſolennitates, tantò malus eſt perjurium.* Dico *ſecundò*, Etſi perjurium concedatur eſſe gravius, non tamen magis eſſe obligare ſolenne Juramentum ex ſe & natura ſua quàm ſimplex: quia obligatio Juramenti *quatenus juramentum eſt*, (nam & obligat quatenus promiſſionem includit; ſed, inquam, quatenus eſt Juramentum) exurgit præcisè ex eo quod Deus teſtis & vindex invocatur. Invocatur autem Deus teſtis & vindex, non minùs in Simplici Juramento, quam in Solenni & Corporali: nam illa invocatio fit præcisè per prolationem verborum, quæ eadem eſt in ſimplici & ſolenni; & non per aliquem motum corporalem aut ſignum concomitans, in quibus conſiſtit Juramenti ſolennitas. Dico ergo *tertiò*, quòd ſolennitas juramenti aggravet peccatum perjurii, id ex accidenti provenire; ſed tamen neceſſariò & inſeparabiliter, non autem contingenter: idque duplici rarione. *Primò, ob majorem deliberationem.* Ad hoc enim adhibetur externorum rituum ſolennitas, ut majorem incutiat interiori menti actus reverentiam, & religionis quaſi ſenſum quendam; ut ita agens majori cum animi attentione & deliberatione verſetur circa illum actum: & omne peccatum cæteris paribus eò gravius

[1] Gothofr. ad l. 3. Cod.
[2] Si minor ſe major.

vius est, quò fit contra actum voluntatis antecedaneum magis deliberatum. *Secundò*, solennis juramenti gravius est perjurium, *propter majus scandalum*: quia quò solenniùs aliquid fit, eò attentiùs & à pluribus observatur; & proinde si in eo peccetur, exemplum magis erit & notorium & pernicioſum. Dico *quartò*, cum in Juramento quæ pars est cultus Dei, expedire concedatur ut ob majorem actus reverentiam adhibeatur quædam *rituum* & ceremoniarum *solennitas*, atque etiam *præscripta verborum formula*: non videri dare posse justam aliquam rationem, cur ex aliis partibus publici cultus utraque exulare cogatur, & *rituum* (inquam) mediocris *solennitas* & *certa formula verborum*. Fateor mihi, etsi & apud memetipsum cogitando, & abs aliis sciscitando, sæpiùs & seriò id quæsiverim, nunquam tamen hactenus occurrisse idoneam discriminis rationem, cur non ista aut à juramento ut superstitiosa additamenta amoveri debeant, aut in reliquo Dei cultu, ut utilia pietatis subsidia, retineri possint. Qui potest capere, capiat: ego quidem non intelligo.

XIII. Restat *Quintum Dubium*, nullius ferè difficultatis, & pauciſſimis absolvendum, de Juramento, ubi solennitatis aliqua pars ob dignitatem personæ omittitur. Ut quando *Principi*, *Satrapæ*, aut *Magnati* juramentum defertur munus aliquod honorarium suscipienti, omissis ritibus ordinariis (ut *libri tactu*, *& osculo*, &c.) prælectis verbis in quæ jurandum est, admonetur tantum ut promittat in verbo Principis, aut in verbo honoris sui, &c. se fideliter prædicta observaturum. Cui monitioni si admotâ pectori manu respondeat tantùm se id polliceri, Juramentum jam pro præstito & peracto habetur. In hoc casu dico breviter, juratum non minùs obligari in conscientiâ, ad fideliter præstandum ea quæ sic pollicitus est, quàm *Casus* XLI.

ii

ſi ſingula verba & ſyllabas ipſe ſuo ore pronunciaſſet, & reliqua ſolennia exactiſſimè peregiſſet. Atque hæc de juramenti *Formâ externâ* dicta ſunto. Expectabatis forſitan, quod & mihi conſtitutum erat, ut hac prælectione complecterer & ea quæ ad *Internam formam* pertinent. Sed continet ea pars dubia quædam ſingularis & momenti & uſus, & indigna quæ in nimis arctum compingantur: illud præſertim, quonam ſenſu Juramentum debeat intelligi. Itaque ne aut vobis aliquam injuriam faciam nimia prolixitate, aut rei ipſi nimia brevitate: dabo operam ut proxima prælectione, cum *Finali causâ* (quæ nec multa continet dubia, nec multùm difficilia) unà etiam expediam ea quæ de *Interna Formâ* ſuperſunt dicenda.

PRÆ

PRÆLECTIO SEXTA.

De Juramenti Forma Interna & Cauſa Finali.

Continens Caſus Quindecim.

SUMMARIUM.

1. *Juramenti Forma Interna, ſive interpretatio.*
2. *Ubi de ſenſu juramenti inter partes conſtat.*
3, 4. *An locum habeat Æquivocatio verbalis?*
5, 6. ——— *aut mentalis Reſervatio;*
7. *Juramentum non eludendum excogitato effugio.*
8. *Quo ſenſu Juramenta ſpontanea ſint intelligenda.*
9, 10. ——— *& quo ſenſu Delata.*
11. *Quatenus juramenti ſenſus pendeat ex ſcopo.*
12. *Juramentum ſub conditione.*
13. *De juramenti intentione remotâ & proximâ.*
14. *Cum juratur res licita ob malum finem.*
15. *An obligetur juraus non intendens jurare?*
16. *Juramentum urbanitatis gratia.*
17. *Cum quis dubius eſt juraverit, nec ne.*
18. *Juraus non intendens ſe obligare.*

SECT. I.

FOrmam juramenti tractandam propoſuimus duplicem; Externam, & Internam. *Externa* ſignorum & verborum, quæ exteriore ſenſu percipiuntur, rationem continet: quam ſuperiore lectione abſolvimus. *Internam*, quæ in verborum ſenſu & interpretatione, quod eſt interioris mentis opus conſiſtit, nunc aggredimur. Verborum autem ſenſum hic intelligo, non *reſpectu formularum*, quibus aliquid jurari ſignificatur; (de hac enim inter dignoſcendi Juramenti κριτήρια, dum in externa forma verſaretur, ante dictum eſt:) ſed *reſpectu ipſius promiſſionis*, quæ jurejurando confirmatur, & in verbis continetur. Res ſanè magni momenti, & multiplicis uſus: utroque nomine digna omni veſtra attentione. Etenim & magni intereſt pernôſſe quo ſenſu juraveris; qui pejeravit, qui quod promiſſum eſt non eo ſenſu perfecerit, quo promiſit, aut promittere debuit: nec in ſolis Juramentis, ſed in Votis, Promiſſis, Fœderibus, Contractibus, aliiſque Conventionibus omnibus, in quibus bona fide agier oportet, omninò videndum ut promiſſio eo prorſus ſenſu quo facta eſt adimpleatur. Ad rem ergo. Juramenti verba, aut clara ſint neceſſe eſt, aut ambigua.

Caſus XLII. II. *Dubium primum* eſt de Obligatione Juramenti, cujus *verba clara* ſunt, & habent ſenſum manifeſtum & indubitatum. Ubi quatuor occurrunt caſus. *Primus* eſt, cum verba Juramenti aut Promiſſionis ita ſunt clara, ſive *primò*, ex propria ſua & communi ſignificatione; ſive *ſecundò*, ex recepto loquendi more alicujus gentis vel civitatis; ſive *tertiò*, ex mutuo conſenſu partium: ut de eorum ſenſu inter partes omnino conſtet. Exemplum

Primi

Primi: Caius Titio, ſpondeo me fundum meum Tuſculanum tibi daturum, ſi mihi infra menſem centum aureos dependeris. Exempla *Secundi*: Si Johannes cum Petro linguâ noſtrâ vernacula ſic contraheret, pro centum marcis, quas tibi debeo, dabo tibi cras de grege meo *centum* oves maſculas, Anglicè For an hundred marks an hundred weathers: vel, Pro uſu-fructu fundi tui ſolvam tibi quotannis tres *modios* frumenti, Anglicè Three buſhels of wheat. Quorum in priori exemplo, etſi vocabulum illud An hundred ſit ita ambiguum, & nunc idem ſignificet quod Latinis propriè eſt *Centum*, hoc eſt *quinquies viginti*, nunc majorem ſummam ſcil. *ſexies viginti*; tamen ex paſſim recepto per univerſum regnum Angliæ illius vocis uſu, mens ita contrahentium ſic eſſet manifeſta ut de ſenſu verborum nulla poſſet oriri lis: quandoquidem An hundred, cum de pecuniis ſermo eſt, *Centum* ſive *quinquies viginti*; cum de pecore, *ſexies viginti* denotare, nemo eſt apud nos qui non intelligat. In poſteriore item exemplo, illa vox A buſhel cum apud meridionales Anglos ex uſu communi *modium* Latinorum *unicum* ſignificet, apud Septentrionales *binos modios*: uſus locorum inter bonæ fidei viros nulla definiret, ut utrovis loco contractus fieret, de ſenſu tamen verborum inter bonæ fidei viros nulla poſſet eſſe diſſenſio. Exemplum *tertii*: Caii agrum quendam è multis unum fundo ſuo vicinum Titius emere cupiens, de pretio cum eo aliquoties antè collocutus, cum die quodam convenit, Dabin' mihi, inquit, *agrum tuum* eo qui dixi pretio? Dabo. Jura mihi te daturum. Juro. Etſi de eo agro qui Titii fundo vicinus eſt peculiaris nulla facta ſit mentio: certum eſt tamen ex antegreſſis ſermonibus eundem illum agrum peculiarem intelligi. Et iſtiuſmodi quidem Jura-

mentum obligat jurantem ad præſtandum bona fide id quod promiſit eo ſenſu, in quem manifeſtum eſt, ſi abeſſet utrinque omnis dolus malus, utrumque contrahentium conſenſiſſe. Fidem violaret Cajus, ſi Titio alium aliquem agrum daret, & non eum de quo antè collocuti fuerant : & pactus an hundred weathers, ſi non niſi quinquies viginti tradiderit, promiſſi fidem non implevit.

Caſus XLIII. III. *Caſus ſecundus* eſt de Juramento, ubi verba ſecundùm communem morem intelligendi ſatis ex ſe clara videntur ; ſed jurans tamen non habens intentionem ſe obligandi in eo ſenſu quem verba apertè præ ſe ferunt, ſenſum alium quendam ſibi imaginatur, cujus verba ipſa propter alicujus dictionis aut phraſis ambiguitatem poſſunt eſſe aliquo modo capacia : qui celare cupit audientes, ita ut ipſe verba accipiat in alio ſenſu, quàm ab audientibus accipi putet aut cupiat. Hæc eſt illa, quam cum nonnullis Caſuiſtis & Scholaſticis Jeſuitæ potiſſimùm tuentur & exercent, *verbalis Æquivocatio*. Cujus exempla in juramentis Aſſertoriis ferè adducuntur : quia iſtiuſmodi æquivocationis ex ipſorum doctrinâ præcipuus uſus eſt, cum quis interrogatus à Judice non competente, vel non ſecundùm ordinem juris, vel habens aliàs cauſam veritatem diſſimulandi rationabilem, commutat apertum ſenſum verborum in alium minùs apertum, & ab eâ quâ de re agitur longiùs remotum, prout ſuis rationibus expedire videbitur. Ut ſi Ludovicus interrogatus an eſſet *Gallus*, juraret ſe non eſſe *gallum*, ſcil. Gallinaceum : aut ſi ſervus cujuſpiam interrogatus *eſſetne* herus intus, juraret *non eſſe*, id eſt, non comedere : cum mens interrogantis utrobique ſit ſatis aperta. Idem & in Juramento Promiſſorio contingere poteſt : ut ſiquis belli dux pactus cum hoſte *decem dierum* inducias, caſtra ejus de nocte diriperet ; quod inter paciſcendum

cendum dierum tantum mentio facta fuiſſet, non item noctium. Hiſtoriam narrant *Livius* & alii de decem Romanis apud Hannibalem captivis, qui certis conditionibus poſtquam redituros ſe in ipſius caſtra juraverunt ab eo dimiſſi ſunt: [1] *quorum unus minimè Romani ingenii homo* (inquit ille, [2] *alii à duobus* id factum narrant) jurisjurandi ſolvendi causâ commentitio conſilii regreſſus eodem die in hoſtium caſtra, velut aliquid oblitus, ante noctem comites aſſequitur. Quæ ipſius fraudulenta calliditas tàm turpis exiſtimata eſt, ut non modò contemptus vulgò [3] *diſpretúſque* ſit, & à Cenſoribus omnium notarum damnis & ignominiis affectus; ſed & à Senatu comprehendendus, & cuſtodibus publicis datis ad Hannibalem deducendus judicaretur. Defendunt tamen acriter hanc æquivocationem Jeſuitæ: ita ut Joh. Molanus Profeſſor Lovanienſis cædem *Johannis Hoſs*, contra fidem publicam de ſalvo conductu datam, eo nomine defendat, quòd *ſalvum veniendi*, non item *redeundi* veniam habuerit. Eant nunc Jeſuitæ & fidenter conquerantur magnam ſibi injuriam fieri, quòd docere dicantur non eſſe fidem cum hæreticis ſervandam. Nam ſi iſthoc pacto ſervari poſſit fides: non eſt quòd de eâ, cum quibuſcunque demum tranſigi contigerit, aut ſervandâ aut violandâ multùm ſint ſolliciti. Sed Jeſuitiſmum hunc integris in eam rem editis libris refutarunt, & fusè & ſolidè Reverendus in Chriſto Parer *Joh. Mortonus* Epiſcopus nunc Dunelmenſis, *Hen. Maſonus*, noſtrorumque alii, ab iis qui pleniorem hujus rei tractationem deſiderant conſulendi. Statuendum eſt interim iſto modo jurantem, & æquivocè jurando peccare; & tacitâ illâ æquivocatione non obſtante obligari in conſcientia ad promiſſum faciendum in eo ſenſu quem verba ex ſe reddunt, & ſunt apta ingenerare in mente

[1] Liv. 3. dec. 2.
[2] A Gell. 7. Noct. Attic. 18.
[3] *Ut contempti vulgo diſpretique ſint.* A. Gell. ubi ſupra emendante Lipſio, cum ante *diſcerpti* perperam legeretur. v. Lipſ. 1. Elect. 7.

audientium : ni ſic fecerit, perjurio non vacare.

IV. Rationes iſtius aſſertionis aliquot dudum attuli, confirmandæ primæ noſtræ hypotheſi : addo nunc alias, ſed breviter. *Primò*, quia Juramentum debet ſimpliciſſimè & cum affectu intelligi ; quæ ſumma eſt illius hypotheſeos : cum qua ſimplicitate pugnat iſtud quæſitæ ambiguitatis artificium. *Secundò*, quia magna eſt prophanatio nominis divini, eum ut cordis inſpectorem & teſtem invocare, in teſtimonium veritatis eorum verborum, quæ cum eo quod jurans in corde reconditum ſervat non concordant. Quod quid eſt aliud quàm Deum qui nec illudere ſcit nec illudi, quantum in ipſo eſt impoſtorem facere & indignæ ſimulationis patronum ; *Tertiò*, quia ejuſmodi æquivocatio ipſi inſtitutioni & naturæ Juramenti adverſatur : cujus præcipuus uſus eſt, ut ſit [1] ἀντιλογίας πέρας, ut finem ſtatuat litibus & controverſiis, ut de rebus alioqui incertis habeatur aliqua certitudo quantum expedit rebus humanis ; cum ſit jurisjurandi religio [2] *expediendarum litium maximum remedium*. Aſt æquivocatione tollitur omnis illa certitudo, quæ jurando quæritur : quæ enim poteſt eſſe certitudo illius reſponſionis, cujus ſententia incerta eſt ? Nec expediuntur hac ratione lites, ſed augentur magis. *Quartò*, quia ſic jurans proximum ſuum decipit, & ſciens fallit : contra quàm exigitur à jurante, ne [3] *juret in dolo* ; & contra veterum formulam illam, *Si ſciam fallo*. *Quintò*, quia ut affirmatio & negatio in Aſſertorio, ſic eſt ſponſio in Promiſſorio Juramento, cum contineat in ſe reſponſionem ad quæſtionem ſeu interrogationem à deferente propoſitam, niſi ſit congrua & apta propoſitæ interrogationi, mendacium eſt non veritas. Nam ex interrogatione & reſponſione fit una quaſi propoſitio : quæ omnino

[1] Heb. 6. 16

[2] l. 1 ff de jurejur.

[3] Pſal. 24. 4.

nino falſa cenſenda eſt, ſi alio ſenſu quàm quo propoſita eſt interrogatio, reſponſio fiat. Neque vero multum adjuvat hac in re iſtius ſimulationis patronos *reſtrictio* illa quâ uti ſolent, ſcil. non licere nobis paſſim hac æquivocatione uti; Sed ſolùm apud non judicem, eumque qui jus non habet exigendi juramentum; vel qui ſine juſtâ causâ nos adiget ad jurandum, aut rem indebitam petit, aut ex aliquâ ſimili causâ rationabili. Sed præterquam quod, *primò*, iſta ab eis gratis dicuntur, ſine ulla aut Scripturæ aut veteris Eccleſiæ authoritate, vel etiam ſolidâ & evidenti ratione: nec tollitur, *ſecundò*, ſed nec minuitur iſtâ reſtrictione vis eorum argumentorum, quæ jam adduximus in contrarium: ſciendum *tertiò*, etſi injuſta vis concederetur impedire poſſe obligationem illam quæ homini fit, quia non eſt æquum ut ex actu injuſto jus ſibi quis acquirat, nullam tamen injuriam ab hominibus illatam juſtam nobis cauſam præbere poſſe injuriam faciendi Deo, tollendo ſc. illam obligationem, quæ Deo fit ut cordium inſpectori; cui, ex omni juramento noſtro propter nominis ſui invocationem, jus accreſcit. *Quartò*, denique, Jeſuitica hæc doctrina improbis hominibus pro ſua libidine, mentiendi & pejerandi licentiam facit: etiam illâ reſtrictione non obſtante; quum eâ manente, adhuc tamen an expediat vel non expediat uti æquivocatione penes ipſum jurantem ſolum ſit tota judicandi poteſtas. Ideo ſiquis ad jurandum præter jus & fas adigatur: aut debet juramentum ſimpliciter recuſare; aut ipſum in eo ſenſu quo proponitur ſine ulla ſimulatione vel æquivocatione admittere.

V. *Caſus Tertius* huic affinis eſt de mentali (ut vocant) *Reſervatione* quam eâdem prorſus ratione tuentur Jeſuitæ, & eâdem reſtrictione definiunt, qua & verbalem æquivocationem. Ut enim in illâ, *Caſus* XLIV.

illâ, ex detortis in alienum ſenſum verbis prolatis; ſic in iſtâ, ex aſſumento aliquo non exterùs prolato, ſed intus apud ſe in monte reſervato, jurans interrogantem ludificatur. Sic *Sacerdotem* aiunt, ſi à Magiſtratu hæretico rogetur an ſit ſacerdos, reſpondere poſſe ſe non eſſe ſacerdotem; nempe Bacchi, aut Apollinis; & *uxorem adulteram*, ſi à marito Zelotypo de adulterio poſtuletur, jurare poſſe ſe adulterium non commiſiſſe, nempe ut ipſe dicat. Pariter & in promiſſorio Juramento, poſſe viatorem ob vitam redimendam jurare, latroni ſe certam pecuniæ ſummam daturum, cum tamen in animo habeat nullam ei dare: dummodo ſic intelligat, *Dabo ſi debeam*, vel *Dabo ſi apud Magiſtratum petieris*. Sed ut iiſdem fere fundamentis nititur, ſic iiſdem argumentis evertitur, mentalis hæc *reſervatio*, quibus & illa *verbalis æquivocatio*. Tollit enim omnem inter homines fidem & certitudinem. Deum impoſtorem facit, eos quicum agitur decipit, jurisjurandi finem & uſum pervertit, omne genus mendaciis & perjuriis latam feneſtram aperit. Quia & *æquivocatione* illa tantò pernicioſior eſt iſta *Reſervatio*, quantò huic quàm illi difficiliùs occurritur. Prævisa vel ſuſpecta poteſt præcaveri *Æquivocatio*, ita explicando verba in quæ jurandum eſt, ut nulla ſubeſſe poſſit ambiguitas, nulla reliqua ſit evadendi rimula. Aſt ne *Reſervationibus* hiſce quis utatur, nulla prorſus arte vel providentiâ effeceris. Vertumnum hunc quo nodo ſic obſtrictum teneas, ut non mutatâ ſubinde formâ elabatur?

Horat. 2; Satyr. 3.

* ——— *mille adde catenas,*
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.

Juramentum apud nos *Fidelitatis*, eâ verborum accuratione & ſtudio perſcriptum, ut nullus cavil-

la tioni

lationi aut effugio locus esse posse videatur; Jesuitæ tamen & sacrificuli, dum sibi quidlibet animo reservandi libertatem reservant, magnâ vultus constantiâ præstare non verentur. Ipsissimam enim illam clausulam, qua verbis conceptis spondent se omnia antedicta fideliter observaturos, juxta tenorem verborum à se prolatorum, *& juxta eorum verborum apertum & naturalem sensum & sententiam, sine ulla æquivocatione, aut mentali reservatione*; intelligunt interim cum alia reservatione, scil. quam tibi dicam.

VI. Habent tamen paratam sibi hanc defensionem, quò se à perjurio liberent: nempe ex oratione *verbali* & *mentali* unam confici integram *orationem compositam*, in quâ totâ conjunctim acceptâ nulla sit falsitas. Ut exempli gratia, si sacrificulus verbis prolatis juret *se non esse sacrificulum:* adjectione illâ in animo reservatâ, sed non enunciatâ, *Ut tibi dicam*: oratio hæc tota, inquiunt, ex verbali & mentali composita, si integrè sumatur, erit vera; sc. *Non sum sacrificulus ut tibi dicam.* Nec videtur ratio aliqua obstare, quin liberum cuique sit orationem suam si libuerit ex terminis vocalibus & mentalibus componere. Cur enim in Precatione, si quis illa tantùm verba *Panem nostrum quotidianum* ore protulerit, reliqua illa *Da nobis hodie* mente solùm cogitaverit; poterit illa integra oratio & licita esse & Deo grata: non itidem licebit in juramento id ipsum facere? Ut huic Jesuitarum argutiolæ plenè respondeatur, primò, mirandum non animadvertere acutissimos disputandi artifices hac defensione omnem judiciorum, promissionum, contractuúmque humanorum fidem penitus labefactari. Quo enim utuntur argumento, siquid haberet ponderis, evinceret sanè non minùs licere istiusmodi reservationibus uti apud legitimum judicem, & in re debitâ (quod

tamen

tamen illi dicunt fieri non oportere) quam apud judicem non competentem, aut in re indebitâ: quum *Oratio ex verbali & mentali compoſita*, ſit omnino ejuſdem utrobique aut veritatis aut falſitatis. Et hæc reſponſio ſufficit *ad hominem* : ſed *ad rem* ipſam dicendum *ſecundò*, Orationem ex verbali & mentali eo quo dictum eſt modo compoſitam admitti poſſe, ubi quis ſecum aliquid ſolus commentatur, ut in privatâ *meditatione* ; aut quando cum ſolo Deo res eſt, ut in *precatione* vel *gratiarum actione* : aſt ubi cum hominibus negotium eſt, ut in *Juramentis*, ubi ſic ferendum eſt teſtimonium, ut ab aliis audiatur & intelligatur, mixtam ex verbali & mentali orationem nullatenus eſſe admittendam. Hujus diſcriminis ratio manifeſta eſt: quia tàm notum unicuique eſt, quod ipſe intus in pectore ſuo occultum geſtat, quam quod verbis palàm enunciat. Deo etiam cui nihil occultum eſt, vel abditiſſima cordium ſecreta[1] τετραχιλιοσμένα ſunt & perſpectiſſima. In ut ſecum meditantibus, vel Deum precantibus, quod ad veri & falſi rationem attinet perinde eſt, ſive totum id quod in mente enuncient, ſive partem tantùm, ſive nihil. Cæterùm apud homines, quibus cogitata cordium ignorari neceſſe eſt, niſi quatenus ſermone, alióve externo indicio ſignificantur, orationis veritas & falſitas ex iis ſolis æſtimanda eſt, quæ audientibus aliquid teſtari poſſunt. Quod cum reſervationes illæ quæ in mente ſunt efficere nequeant, in dijudicandâ orationis veritate *verborum prolatorum* tantùm, non autem *reſervationum mentalium* ratio habenda eſt.

[1] Heb. 4. 13.

Caſus XLV. VII. *Caſus Quartus* reſpicit pòſt factum. Nam ut antequam juretur, & in ipſo jurandi actu, oportet eſſe propoſitum adimplendi promiſſum *in ſenſu quo propoſitum eſt*, ſine aliquâ æquivocatione aut mentali reſervatione: ita poſtquam juratum eſt,

ſt, adſit oportet ſtudium & conatus, ut idoneo empore fideliter idipſum & *eodem ſenſu quo juratum eſt* adimpleatur ſine aliqua evaſione aut effugio. Atque ut unum perjurii genus eſt, inter jurandum detorquere verba in alium ſenſum, quàm concipiunt audientes: ſic alterum perjurii genus eſt, ubi rectè juraveris, non ſincerè agere, ſed novo aliquo excogitato commento juramenti vim (ſalvis tamen verbis) declinare & eludere. [1] *Verbis jurisjurandi artes mutantibus, quibus flagitii conſcientia inerat*, inquit de quibuſdam Tacitus. Lepidum recitat ex Herodoto [2] Stobæus de Archetimo quodam, qui apud Cydiam amicum nummos aliquot aureos depoſuerat. Poſt aliquod tempus Archetimo depoſitum repetenti, Cydias præ auri cupidine acceptum negat. Res ad Judices delata: inſtat actor, negat reus: par utrique confidentia, teſtes nulli. Placuit judicibus, quòd deeſſent aliæ probationes, jurejurando litem terminari. Dies examini dictus. Cydias interea baculo ferulino ſcitè excavato nummos incluſerat, ſimulans etiam adverſam valetudinem. Die condicto adeſt, baculum, velut qui è recenti morbo vixdum ſatis convaluerat, manu geſtans. Aris admovendus, Archetimo baculum tantiſper tenendum porrigit, dum ipſe jurisjurandi ſolennia perageret. Tradito baculo, tum demum ſumma cum animi vultúſque conſtantiâ præſtito juramento fatetur ſe ab Archetimo aurum accepiſſe, ſed reſtituiſſe fidenter aſſerit. Archetimus & effuſus damno & hominis conjunctam cum ſummâ impudentia ſummam perfidiam indignatus, baculum à ſe projectum tàm vehementi ictu pavimento impegit, ut ferula confracta, effuſi nummi & Cydiæ fraudem, & totius rei veritatem patefecerint. Id Cydiæ factum ἐκ τέχνης πεπλασμένον ψεῦδος appellat hiſtoriæ ſcriptor, *ex arte concinnatum*

[1] Tacit. 4. hiſtor.

[2] Stobæ. ſerm. 27.

concinnatum mendacium: qui & idem obſervat Cydiæ κακὸν βίον κάλλιστον, velut juſtam perfidiæ mercedem, *miſerum vitæ exitum*. Extant id genus exempla in hiſtoriis & in vita quotidiana compluria, unde pauca quædam quæ nobis ex uſu ſient colligo. *Primum*, Homines vel improbos aliquâ ſaltem Juramenti religione & conſcientiâ duci: adeo ut quibus juſti & honeſti vel nulla vel perexigua ratio eſt, ex quodam tamen naturæ ſenſu juramento putent ad datam firmatámque fidem exolvendam obligari. *Secundum*, pravis affectibus ni fortiter reſiſtatur, periculum eſſe ne ſcintilla illa quæ in nobis reliqua eſt luminis naturalis, ita ab illis aut penitus extinguatur, aut ſaltem miſerè obruatur, ut de perjurio arte aliqua palliando magis, quàm ſincerè evitando ſoliciti ſimus. *Tertium*, qui perjurii immunis eſſe cupit, juramenti à ſe ſuſcipiendi verba ſingula, eorúmque ſenſum & vim diligenter expendere debere: ut ſi non debeat ſervari, ne quidem ſuſcipiatur; ſi fas ſit ſuſcipi, ſine fraude & ſimulatione ſervetur. Impium eſt enim *rem ſacram* præproperè *vorare*: & intempeſtivam, voto jam immiſſo, *ordiri inquiſitionem*. Et hæc de primo dubio. Cujus ſumma eſt; Juramenti verba ubi ſunt ita ex ſe clara, ut de eorum ſenſu inter bonæ fidei viros nullum poſſit eſſe dubium, obligari jurantem in eo ſenſu quem manifeſtè reddunt: nec fas eſſe ipſi, aut inter jurandum, aut poſtquam juraverit, ea verba, quæſita in compendium ſuum interpretatione aliò detorquere.

Caſus XLVI. VIII. *Dubium ſecundum* eſt, ubi de verborum ſenſu ambigitur. *Caſus* autem ſunt tres. *Primus* eſt, de *Juramentis Spontaneis*: ut in illis promiſſionibus, quæ fiunt ex mero motu propriæ voluntatis, ex animi quadam liberalitate, & non ex debito aliquo juſtitiæ aut obſequii. Reſpondetur com-

communiter & verè; Istiusmodi Juramenta esse ex ipsius jurantis mente accipienda; qui unusquisque sui optimus interpres est. Exempli gratia; Siquis apud nos voto, juramento, aut promissione se obstringeret dare aliqui ptochotrophio aut pauperibus alicujus villæ quolibet mense decem solidos: siquidem nobis *Mensis* nomen ambiguum est, si pauperes illi primam pensionem sibi ex promisso deberi contenderent ad vicesimum octavum diem Januarii, & exinde deinceps reliquas vicesimo octavo quoque die, accipiendo *Mensem* pro quatuor septimanarum spacio, quæ est una ejus nominis significatio: ille contrà non deberi diceret ante ultimum diem Januarii, & sic deinceps, accipiendo *Mensem* pro duodecima ferè anni parte ut in Calendario in duodecim menses totus annus distribuitur, quæ est ejusdem vocis altera significatio: æquissimum est, ut vox ambigua ex ipsius potius quàm illorum mente accipiatur. Quia illa pensio non est eis debita ex justitia, & ante factam promissionem; sed ex charitate & vi promissionis liberæ, non alicujus pactionis aut contractus. Et de hoc genere juramenti debent illa verba intelligi, quæ citantur in glossa Juris Canonici, [1] *Patet quod Deus non accipit sic juramentum, sicut ille cui juratur, sed potius sicut qui jurat intelligit.* Sed ut hæc responsio rectiùs intelligatur, duo sunt observanda. Alterum quòd hoc in spontaneis Juramentis & promissionibus potissimum obtinet, cum τῶν ἐπαχθῶν diversa sit ratio, ut mox dicetur. Alterum, jurantem in præsenti casu obligari ad promissum servandum eo sensu, quem ipse verbis suis, quo tempore juravit, aut bona fide intendebat, aut voluit ab audientibus intelligi: non autem in eo sensu quemcunque ipsi postea libuerit illis verbis affingere. Deus enim qui aspicit cor, non luditur verbis;

[1] Gloss. ad c. 22. qu. 5. 2. 11.

verbis : [1] *Nec debet intentio verbis inſervire, ſed verba intentioni.*

[1] Gregor. 26. Moral. 7. & habetur 22. q. 5. *Caſus* XLVI.

IX. *Caſus Secundus* eſt de Juramentis & Promiſſionibus [2] ἐπαγγελίαις, id eſt, eis quæ juranti ab alio deferuntur ; ſive quæ alius quiſpiam aliquo aut jure ſuo aut juris prætextu à jurante exigit. Qualia ſunt ea imprimis, quæ à Rectoribus pro authoritate ſua ſubditis imperantur, aut legibus ſunt conſtituta : ut apud nos juramenta *Suprematus Regii & Fidelitatis* ; & ea quæ ex ſtatutis Academiæ ab eis exiguntur qui ad gradus promoventur, aliáque ſimilia. Item ea quæ ex juſta conventione partium ab alterutro contrahentium poſtulantur : ut ea quæ in pactis, fœderibus, aliiſque civilibus contractibus ad mutuam fidem confirmandum interveniunt. Pro reſponſione in hoc caſu dico, Iſtiuſmodi juramenta regulariter intelligi debere in eo ſenſu, quem probabiliter judicari poteſt fuiſſe ab eo cui juratur, intentum : ita ut juranſteneatur ſub pœna perjurii implere quod promiſit (ſi ſit res licita & honeſta ſecundum intentionem deferentis,) [3] *Verba intelliguntur ſecundùm mentem & intentionem ejus cui ſi: juramentum*, ait Juriſconſultus. Ratio eſt, quia eum ob finem hoc juramenti genus ſuſcipitur, ut is cui juratur ex interpoſita fide habeat aliquam certitudinem, id quod ſibi à jurante promiſſum ei impletum iri : de promiſſione autem adimplenda nihilo certior eſſet, ſi verba ex mente jurantis, & non ex ſua ipſius mente eſſent intelligenda. Alia enim ratio eſt Obligationis, ubi debitum fundatur in promiſſione : ubi verò promiſſio fundatur in debito, longè alia. Ipſe Deus, qui nemini ex jure

[2] ἐπαγγελίαι ἔρχονται, ἐφ' ὧν ἑτέρῳ αἰτήσει, οὐκ ἰδίαις. Heſyc. ὁ ἀπαγγέλθεις ἐπαγγελίαι. Suid.

[3] L. qui interrogatus ff. de inter. ex legit. *Rectiſſime dici non ſecundum verbum jurantis, ſed ſecundum expectationem ejus cui juratur quam novit ille qui jurat, fidem juramenti impleri.* Auguſt Epiſt. 224. *Expectationem quibus juratur qui decepit, non poteſt non eſſe perjurus.* Idem Epiſt. 225.

debitor

debitor eſt, ex promiſſionibus tamen ſuis gratuitis, facit ſe nobis debitorem; & qui Voto, Juramento, vel Promiſſione ſpontanea ſe obligat ad aliquem actum charitatis, contrahit ipſo facto debitum. Sed quia hoc debitum non fundatur in jure ejus cui facta eſt promiſſio, ſed promanat ex mero actu libero & gratuito ipſius promittentis: omnino æquum eſt, ut ipſe ſit mentis ſuæ interpres, cuja potiſſimùm intereſt, quantum & quatenus & quo ſenſu intendebat ſe obligare. Aſt ubi contra promiſſio ipſa fundatur in debito aliquo antecedente; debito ſcil. aut ſubjectionis & obſequii ex authoritate ſuperioris, aut juſtitiæ & pacti ex conventione partium, quia is cui fit promiſſio jus habet eam exigendi, & ipſius maximè intereſt ut promiſſi fides ſervetur: ratio poſtulat ut ex ipſius potiùs mente & interpretatione, quàm ex promittentis ſenſu, de promiſſionis obligatione judicetur.

X. *Caſus Tertius* eſt, ubi differens Juramentum ſenſus ambigui, id tantum poſtulat ut in ea verba juretur; permittit interim jurantis ipſius arbitrio, quocunque voluerit ſenſu juramenti verba intelligere. Dico, merito ſuſpectum eſſe debere latentis alicujus doli mali, & proinde recuſandum eſſet viro pio & prudenti oblatum ſub tali conditione juramentum: quod mihi videtur triplici de cauſa improbandum. *Primò*, reſpectu ipſius Juramenti, in quo requiritur imprimis veritas: oratio autem indefiniti & ambigui ſenſus ante diſtinctionem factam non eſt propoſitio vera, imo ne propoſitio quidem; cum debeat propoſitio, ut ex ejus definitione vel pueris notum eſt, *verum vel falſum ſignificare ſine ambiguitate*. *Secundò*, reſpectu ejus cui jurandum eſt: finis enim juramenti proprius eſt, ut is cui juratur de re priùs incertâ habeat aliquam certitudinem: ex verbis autem incerti ſenſus *Caſ* XLVIII.

ſus quæ poteſt habere certitudo ; *Tertiò*, reſpectu ipſius jurantis : qui ſi juramentum ſub eâ conditione præſtet, aut proximo ſcandalum, aut ſibi laqueum parat. Iſtiuſmodi enim colluſio, ne cogitari quidem poteſt quò ſpectet aliò, niſi ut aut noſtro exemplo alii ad idem juramentum ſuſcipiendum (reluctante licèt conſcientia) inducantur; quod eſt proximo ſcandalum præbere : aut ut aliud aliquid poſtea à nobis virtute illius juramenti faciendum exigatur, quod aut illicitum ſit aut incommodum ; quod eſt nobiſmetipſis laqueum inducere. Caveat itaque vir prudens, ut ſibi his artibus imponi patiatur : alteriúſve cujuſquam aut gratiam aut metum tanti ducat, ut eſcam devoret, cui ſubeſſe hamum certò ſciat. Sanè ut inter jurandum omnia rectè fiant, expedit ut de verborum ſenſu inter omnes partes quarum intereſt liquidò conſtet : id quod *liquidò jurare* veteribus dictum eſt :

Sic tamen & liquidâ juratus dicere poſſes.

Et ex veteri formula juratura à deferente jurmentum dici ſolitum eſt, *Qua de re peto liquidò jures.*

Caſus. LXIX. XI. Sed de his ſatis. Pergo ad *Dubium tertium*, quod eſt de ſenſu Juramenti quoad latitudinem ſive extenſionem ejus : hoc eſt, an & quatenus ſenſus verborum ex ſcopo metiendus eſt. *Caſus primus* eſt, ubi Juramenti alicujus cauſa fuit particularis, verba tamen ſunt generalia. Exempli gratia ; Juramento *Suprematus Regii* cauſam dedit *uſurpatio Papalis*, qui ſupremam in ſpiritualibus juriſdictionem in hoc regno ſibi vendicabat : verbis tamen Juramenti ita aſſeritur Suprematus regius, ut non Papa ſolùm, ſed & univerſim omnes alii quicunque excludantur à ſuprema poteſtate in hoc regno

regno exercenda. Reſpondeo, tale juramentum obligare quoad verba ipſa in ultima ſua latitudine. Ratio eſt, quia legi, licet ex particulari occaſione latæ; intentio tamen eſt generalis, omnia ejuſdem generis vel rationis incommoda in futurum impedire. Et proinde etſi in procœmio legis mentio ſæpè fiat particularis illius mali quod cauſam dedit legi ferendæ, verba tamen illa quibus lex ipſa continetur plerumque ſunt magis generalia: id quod conſultò & data opera factum eſt à Legum latoribus, ut cætera quæ ſunt conſimilis rationis, ſimul complecterentur. Ut ergo de ſenſu Legis, non *ex proœmio*, ſed *ex corpore ſtatuti* (ut loquuntur) reſponſa petunt Conſulti juris: ſic & Juramenti juſtâ interpretatione, non ex præmiſſa *recognitione*, aliâve ejus *præfatione*, ſed ex ipſo quaſi *Corpore Juramenti* Judicium ſumere oportet.

XII. *Caſus Secundus* eſt, quatenus Juramentum ſit cum aliqua conditione intelligendum. Reſpondeo breviter. *Primò*, ſi verba contineant *conditionem expreſſam*, non obligari jurantem, niſi præſtita priùs conditione. Ut ſi Cajus promittat Titio ſe cras daturum centum, ſi Titius fundum ipſi hodie dederit: fundo non dato, non tenetur Caius promiſſione. *Secundò*, ſi conditio nulla ſit expreſſa, debere tamen intelligi omnes illas conditiones ſive exceptiones, quæ ſolent de jure & uſu communi ſubintelligi: nempe hoc vel illud faciam, *Si Deus permiſerit, Salvo jure alterius, Rebus in eodem ſtatu manentibus, Quoad potero & licebit, &c.* Ut fuit in explicatione ſecundæ hypotheſeos fuſiùs antè dictum. *Caſus II.*

XIII. *Caſus Tertius* eſt de Intentione Remota & Proxima. Videtur enim ſatisfeciſſe juramento, qui fecerit id quod intenderat *intentione remotâ*, & ut finem; etſi non faciat id quod verba ipſa ſonant, quæ ferè continent *intentionem proximam* ſo- *Caſus III.*

lùm ſive mediorum. Exempli gratia, Si quis vo-
to, juramento, vel promiſſione reciperet ſe paupe-
ribus alicujus villæ daturum quolibet menſe decem
ſolidos, nihil autem daret toto Januario aut Febru-
rio, ſed Martio demum mendaret triginta ſolidos.
Reſpondeo, jurantem, ſi intenderat obligare ſe tan-
tum *ad ſubſtantiam rei*, non autem ad ejus rei cir-
cumſtantiam ſive modum, non ſimpliciter obligari
ad illum modum faciendi, quem verba inſinuare vi-
dentur. Unde ſi exemplo propoſito totam trimeſ-
ſtrem penſionem exhibuiſſet primo menſe, ſine
dubio ſatisfeciſſet promiſſioni. Poteſt tamen fieri,
ut per accidens & ex conſequenti obligetur & ad
ipſum modum rei : quia unuſquiſque obligatus
(cæteris paribus, & ſi nihil aliud impediat) eligere
in dubiis id quod eſt tutius. Ut in exemplo jam
allato certè tutius eſt penſionem eo modo quo pro-
miſſa eſt ſolvere ; id eſt ſingulis menſibus decem,
potiùs quàm tertio menſe triginta. Tum ob pe-
riculum repentinæ mortis & incertorum eventuum:
tum ad vitandum, qui vel ex neglecta circumſtan-
tia oriri poſſent, mentis ſcrupulos. Suaderem itaque
homini pio, ut cujuſlibet ſui voti, juramenti, pacti,
promiſſioniſque fidem exolvere ſtudeat, juxta ver-
borum & intentionis ſuæ tenorem, quoad commodè
fieri poteſt, etiam in leviſſimis circumſtantiis : ne
minutiora iſta contemnendo, aut ſcrupulos ſibi
creet non neceſſarios, aut rebus gravioribus con-
temnendis paulatim & ſenſim aſſueſcat. Cæterùm
illud unum utcunque admonitos omnes velim, ut
ſummam & coronidem totius hujus diſſertationis
de Juramenti ſenſu & interpretatione, magnoperè
ut caveant, ne ſibi nimium hac in re indulgeant;
neu benigna nimis & laxa interpretatione, dum cu-
piditatibus ſuis plus æquo favent, Juramenti reli-
gionem minuant, & ſe perjurii periculo exponant.
Atque hæc *de Formali Causâ* dicta ſufficiant.

XIV. De

XIV. De *Finali Causâ* paucula reſtant dicenda. *Dubium Primum* eſt, cum promittitur res ex ſe licita, ſed aut malâ intentione, aut ob malum finem. Dicendum *primò*, ſimpliciter illicitum eſſe promittere aliquid quantumvis in ſe licitum, malo fine vel intentione. Ratio eſt, quia cùm quivis unus defectus in quolibet actu humano ſufficiat ad hoc, ut totus actus ſit malus, (*Bonum enim ex causâ integrâ eſt, malum ex partiali*:) tum præcipuè defectus ex parte finis, ut qui in moralibus primas tenet partes; quò fere putant id Chriſti dictum pertinere, [2] *Si oculus tuus fuerit nequam, & totum corpus tenebroſum erit.* Dicendum *ſecundò*, ſi quis aliquid alteri juraverit ob finem inhoneſtum, ſine conditione tamen turpi ab alio præſtanda; obligare ad faciendum promiſſum. Ut ſiquis fœminæ polliceretur ſe ei dono miſſurum rem aliquam precioſam, intendens apud ſe ipſam eo munere ad impudicos amores pellicere, nullâ tamen ei palàm propoſitâ inhoneſtâ conditione, teneretur promiſſionem implere: quòd ſi proponeret eiunà conditionem inhoneſtam, non teneretur promiſſo. Ratio utriuſque eſt, quia rem precioſam licitum eſt alteri dare: Sed dare ſub conditione turpi, illicitum. Dicendum tertiò, Quod promiſſum eſt ſub conditione malâ, præſtitâ conditione debere adimpleri, ſi res ſaltem ſit licita. Ut ſiquis alteri pro adulterio, aut falſo teſtimonio, aut alio quolibet inhoneſto, vel turpi officio pecuniæ ſummam promiſerit: tenetur, ubi alter conditionem pactam præſtiterit, promiſſis ſtare & pactam pecuniam diſſolvere. Sic Thamari nurui ſui obligatum ſe [2] *Judas* rectè putavit, pactam ſcortationis mercedem hœdum promiſſum mittere. Ratio eſt, quia etſi pactum fuerit illicitum, tamen res pacta non eſt illicita: Ergo fieri non debuit, ſed factum valet. Et ex antedictis ſatis claret Juramentum illicitum de re licita poſſe obligare.

Caſus LII.

[1] Matt. 6. 23.

[2] Gen. 38. 20. 23.

Caſus LIII. XV. *Dubium Secundum* reſpicit jurantis intentionem. *Intentionem* dico, non eam quæ fertur objectivè *in Materiam Juramenti*, ſive rem promiſſam; quâ quæritur, quid jurans intenderit promittere, & quo ſenſu, & ad quid ſe obligare: de hac enim intentione modò actum eſt, cum de Juramenti ſenſu & interpretatione diſſeruimus: ſed *Intentionem* eam intelligo, quæ fertur objectivè *in ipſum actum jurandi*: quâ quæritur, an intenderit, jurare, aut ſe obligare, vel non. De quâ multa diſputant ſubtiliùs quam utiliùs Scholaſtici. Quæ ex uſu fient ad vitæ inſtitutionem pleraque in pauca contraham. *Caſus* itaque *primus* eſt, cum quis ex conſuetudine quadam jurandi, incogitans verba profundit juratoria ——— ἡ δὲ ὄρκος ἐπ' ἄκροις ἀεὶ τοῖς χείλεσι. Dico *primo*, certum eſſe ejuſmodi Jurationem eſſe grave peccatum. Non ſolùm *originaliter*, & ratione cauſæ; quia profluit ex habitu quodam pravo: ſed etiam *formaliter*, & ratione ipſius actus; in quantum actus ex naturâ ſuâ religioſus, temere fit, non in judicio, & ſine debitâ reverentiâ. Dico *ſecundò*, Juramentum illud, ſi fuit jurandi actus ex animi præcipitantia prorſus indeliberatus, non obligare; ſed ſi adfuit aliqua animi deliberatio quantumvis exigua, aliquatenus obligare. Ratio utriuſque membri aſſertionis eſt: quia ut actus aliquis humanus ſit obligatorius, requiritur deliberatus animus, & pro menſura deliberationis, aſſurgit etiam obligationis menſura.

Caſus LIV. XVI. *Caſus Secundus*, cum quis honoris aut *urbanitatis gratiâ* (ſic enim Caſuiſtæ loquuntur) temerè jurat in re fortaſſis levi. Exempli gratia, ſi quis cum altero contendens, & honoris quaſi prærogativam ei deferens, ut ſæpè fit, juraret ſe non exiturum domo, non diſcubiturum ad menſam, non bibiturum; niſi ille alter præiverit, aut

prior discubuerit, aut præbiberit. Imò cum sæpissimè fiat, ut sic contendentium uterque idem juret; si ejusmodi juramenta essent obligatoria, necesse esset è duobus alterum pejerare; quia necesse est alterutrum id facere, quod uterque juravit se non facturum. Dico *primò* ut supra, Juramentum istiusmodi esse temerarium, & peccato non carere, quia caret judicio. *Secundò*, esse tamen obligatorium ex sui natura, nisi fortè fuerit actus omnino indeliberatus. Sed *Tertiò*, obligationem illam aut impediri posse aut tolli; ita ut perjurus non sit, qui secus quàm juratum est fecerit. Nimirum potest *impediri* obligatio, si intelligatur cum tacitâ conditione sive exceptione, hoc sensu, Si tibi placuerit, vel si res meo arbitrio permittatur, non ibo nisi tu præiveris. Potest etiam *tolli*: quia cum processerit ex respectu quodam ad honorem alterius, potest ille alter suo jure cedere, & tunc cessabit obligatio; uti (Deo volente) cum de vinculi solutione agam plenius ostendam.

XVII. *Casus Tertius*, cum quis dubius est juraverit, necne, an teneatur Juramento? Aliqui putant non obligari: ex illa regula Juris, *In dubiis melior est conditio possidentis.* Sed quum valeat illa regula in his tantum, quæ ad commutativam Justitiam pertinent; ut si Caii hæres dubitet an bona defuncti quæ ad ipsum ex testamento devenerunt, benè parta fuerint nécne: Alii, & fortasse rectiùs, putant obligari, nisi posse dubitationem deponere. Ratio, quia in dubiis eligendum quod tutius: & est certè tutius obligatum se putare quàm non obligatum; quia ex illo errore exponit se ad summum non nisi temporali incommodo, ex hoc perjurii periculo. *Casus* LV.

XVIII. *Casus Quartus*: cum quis volens jurare, non tamen intendit se obligare, an nihilomi- *Casus* LVI.

nus obligetur? Scholaſticorum & Caſuiſtarum plurimi, præſertim qui ante Cajetanum fuerunt, negant obligari. Et quidem excuſat ſe à perjurio Cydippe Ovidiana iſtiuſmodi defenſione.

[a] Ovid. in ep. Cydip.

[a] *Quæ jurat mens eſt: nil conjuravimus illâ.*

At ſanior eſt Cajetani ſententia, & qui eum ſecuti ſunt Scholaſticorum, deliberare jurantem, ſive intendat ſe obligare, ſive non, obligare tamen. Etenim & actus jurandi eſt ex ſe obligatorius, & proceſſit ab animo deliberato: ergo neceſſariò ſequetur obligatio, niſi aliunde impediatur. Cum ergo obligatio ex jurejurando neceſſariò & naturaliter profluat, non eſt in poteſtate hominis eam impedire, vel ſummovere: nemo enim poteſt, poſitis rerum naturis, earum neceſſarios effectus impedire. Annon deberet omnibus ludibrium, qui cum manum & ſigillum ſyngrapha obligatoriæ opponeret profiteretur tamen ſe nullam habere intentionem ſemet obligandi? Imò illa intentionis ſuæ profeſſione non obſtante, annon facto ipſo obligaretur tamen? Obligatur pariter & qui jurat ipſo jurandi actu, quicquid aut intendit, aut ſe intendere profiteatur: quia intendens cauſam, intendere præſumitur & ejus cauſæ neceſſarium effectum.

Atque ita tandem difficilem hanc & diffuſam *de Juramenti Vinculo*, diſſertationem, auſpice Deo bonitate, comite patientiâ veſtrâ, per quatuor Cauſarum genera deductam, ut potui, abſolvi: reliquam tractationis partem, quæ *de Vinculi Solutione* eſt, propediem (Deo annuente) unica prælectione complexurus.

PRÆ-

PRÆLECTIO SEPTIMA.

De Vinculi Juratorii Solutione; & de jurisjurandi uſu & abuſu.

Continens Caſus quinque, & Concluſiones totidem.

SUMMARIUM.

1. *In promiſſorio Juramento quæ veritas requiratur.*
2. *Solutio vinculi quid ſit.*
3. *Juramentum an ſit diſpenſabile?*
4. *Poteſtas Papæ diſpenſandi in juramentis examinatur.*
5. *Juramentum an poſſit commutari?*
6. *Juramentum ſubditi prælatus poteſt irritum reddere?*
7. *Juramenti materiâ ceſſante, ceſſat & obligatio.*
8. *Relevari poteſt juramentum ab eo cui factum eſt.*
9. *Non eſt illicitum jurare.*
10. *Jurandi in ſermone quotidiano Cacoethes.*
11. *Non eſt jurandum ſine neceſſitate.*
12. *De juramento ab aliis exigendo, Cautiones.*
13. *Juramentum dubitante conſcientiâ non ſuſcipiendum.*

SECT. I.

VInculi illius ſive ligaminis, quod qui jurat ligat ſuper animam ſuam, & de quo tam multa hactenus diſſeruimus, *Solutio*, hodiernum penſum eſt, & totius propoſitæ tractationis noviſſima pars. De qua ſolutione, antequam ad ſpecies deſcendatur, duo ſunt in genere obſervanda. *Obſervandum primò*; vinculi ſolutionem peculiarem eſſe juramento promiſſorio, in aſſertorio locum non habere. Omni Juramento, ſive Aſſertorio, ſive Promiſſorio debet ineſſe *Veritas*: ſed cum hoc diſcrimine, quod ad juramentum Aſſertorium unica ſufficiat veritas de præſenti, cum in promiſſorio duplex requiratur; una ſcil. de præſenti, altera de futuro. *Veritas de præſenti* reſpicit ipſum *actum jurandi*: & conſiſtit in hoc, ut jurans quando jurat, verum dicat; hoc eſt, ut mens ſit congrua verbis, & ut habeat intentionem ſervandi id quod promittit. Qui actus jurandi in Promiſſorio, quoad veritatem & falſitatem omninò convenit cum actu jurandi in Aſſertorio. Materia enim illius veritatis in utroque actu, cum ſit *de preſenti*, tranſit in quandam quaſi neceſſitatem immutabilem; in quantum Juramentum quamprimum præſtitum eſt, ſtatim aut [1] verum fuit aut falſum: quam veritatem aut falſitatem, ubi actus ille ſemel tranſierit, tàm impoſſibile eſſe mutdari, quàm impoſſibile eſt id quod factum eſt infectum fieri poſſe. *Obligatio* ergo illa, qua tenetur jurans de præſenti verum dicere, cadit ſuper ipſum *actum jurandi*, éſtque illi actui inſeparabiliter conjuncta; & proinde *ſolvi non poteſt*, nec à Juramento ſeparari: & juramenti Aſſertorii præter iſtam de præſenti nulla eſt ulterior Obligatio, quia materia ejus eſt factum aliquod præteritum aut

ſect. 4. 2.

[1] *Unde Cleanthes dixit, unumquemque eo ipſo tempore quo jurat aut ἐυορκεῖν aut ἐπιορκεῖν.* apud Stob. ſerm. 27

ct præſens. Sed in Promiſſorio juramento, cu-
as Materia eſt res de futuro præſtanda, requiri-
ur etiam *veritas* altera: *de futuro* ſcil. quæ reſpicit
Materiam Juramenti : & conſiſtit in hoc, ut
urans quod promiſit efficiat eſſe verum; hoc eſt,
t adimpleat promiſſum. Dum igitur materia ju-
amenti promiſſorii, nempe res de futuro præſtanda
ropter futurorum eventuum incertitudinem,
ultiplici mutationi & varietati obnoxia ſit:
inc fit, ut *Obligatio* quæ cadit ſuper illam *Mate-
iam*, & quâ tenetur jurans de futuro promiſſum
dimplere, mutabilis ſit & à juramento ſeparabi-
is. Et hoc ipſum eſt, quod *vinculi ſolutionem*
icimus. Unde etiam ſequitur id quod *ſecundo*
oco *obſervandum* eſt, ſcil. ſolutionem vinculi in
uramento promiſſorio non intelligi debere re-
pectu Obligationis illius prioris, quæ naſcitur *ex
eritate de præſenti*, & eſt ei cum Juramento Aſ-
ertorio communis; ſed intelligi ſolum reſpectu
bligationis poſterioris, quæ naſcitur *ex veritate
e futuro*, & eſt ipſi propria & peculiaris. Hoc
eſt, Omnis promiſſoriè jurans, ipſo facto & vi ip-
ius actus jurandi, ſimpliciter & inſolubiliter *Ob-
igatur de præſenti* bonâ fide & animo intendere id
oſtea efficere quod promiſit: ſed poſtquam jura-
um eſt, multis de cauſis fieri poteſt ut *non oblige-
ur de futuro* illud ad poſtea implendum quod antè
romiſerat & intenderat. Verbo ſic, Perjurus eſt
emper, qui [1] *non intendit* quod promittit: non
ſt ſemper perjurus, qui [2] *non perficit* quod pro-
iſit.

II. Ut autem licitè & ſine perjurio alióve pec-
ato non adimpleatur quod promiſſum eſt, ex ho-
um altero contingere neceſſe eſt: vel quòd nul-
a ab initio fuerit obligatio, vel quòd ea poſtea
(*ſoluto vinculo*) ſublata ſit. Si res promiſſa erat
um juraretur aut *impoſſibilis*, aut *illicita*, Jura-
mentum

[1] ἀφ' ἑαυτοῦ μὴ ἐπιτελεῖν. Cleanth. apud Stob. ſerm 28.

[2] *Non omnis, qui aliter facturus eſt quam promittit, in dolo, jurat.* 22 qu 2. cap. animadvertendum,

mentum eâ de re præſtitum nullum inducebat obligationem, neque indiget ſolutione, ſed pœnitentiâ : quando quidem ſic jurando etſi admiſſum ſit grave peccatum, nullum tamen vinculum eſt contractum. Rei enim impoſſibilis, & rei item illicitæ nullam eſſe obligationem ante oſtendimus. *Solutio* ergo *vinculi* ſupponit antecedentem obligationem : eámque poſtea aliunde ſic tolli ſignificat aut ſaltem impediri, ut qui priùs juramenti vinculo ita conſtrictus tenebatur, ut non liceret ei ſub pœna perjurii aliter facere quàm promiſerat, ad promiſſum ſuum adimplendum jam non ultra teneatur. Itaque quod nunc agitur hoc eſt, ut certam rationem inveſtigemus, qua is qui ſe juramenti vinculo obligavit ad aliquid faciendum, poſſit eſſe ſecurus in conſcientiâ ſuâ ſe ab eo vinculo liberari, nec ad illud faciendum quod promiſit ultra obligari. Cujus rei cum quinque omninò modi ſoleant aſſignari, ſinguli ſunt à nobis ſuo ordine examinandi.

Caſus LVII III. *Primus Caſus* eſt de Diſpenſabilitate Juramenti : An & quatenus Superioris diſpenſatio ejus obligationem tollere valeat? *Diſpenſatio* autem, ut ea vox communiter accipitur, exemptionem ſignificat alicujus perſonæ à lege communi factam ex ſpeciali indulgentiâ ab habente authoritatem. Ut ſiquis legi alicui ſubditus, Principis beneficio ex ſpeciali gratiâ ab illius legis obedientiâ eximatur: & ut fieri quotidie videmus in Academiis, ubi ex rationabili cauſa diſpenſationes ſolent concedi particularibus perſonis, ut liceat eis in aliquibus aliter quam ſtatutum eſt facere. Fundatur autem *diſpenſationis jus* in ἐπιεικείᾳ illa, quæ poſtulat ut de rigore legis nonnunquam aliquid remittatur ut æquitati ſit locus. Cur enim leges neceſſe eſſet verbis generalibus ferri, & ad id reſpicere quod *communiter & plerumque* bonum & utile eſt publico;

publico ; quod tamen ſæpius contingere poteſt eſſe *pro hic & nunc* inutile, vel ſaltem minus bonum æquum utique viſum eſt ; ut ubi obſervatio ejus quod lege ſancitum eſt videtur eſſe alicui privatæ perſonæ valdè oneroſa vel incommoda, & ex ejus omiſſione publico non multum incommodari, Princeps vel alius legitimus ſuperior poteſtatem haberet determinandi legem in eo caſu non videri ſervandam : & hoc eſt quod dicimus in lege *Diſpenſare.* Quam autem poteſtatem habent *Principes ſeculares* diſpenſandi in legibus ſuis, eandem ſibi arrogant *Pontifices Romani* diſpenſandi in votis & juramentis. Quorum in hoc genere audaciam, dum ſubditos Regum à fidelitate ſua abſolvunt, Principum contractus & fœdera reſcindunt, Votorum & Juramentorum vel arctiſſima quæque vincula commutando, relaxando, diſpenſando, contraria jubendo, alióve artificio pro libitu & utilitate diſſolvunt, utinam eorum nonnulli, qui rectiſſime damnant, non peſſime mutarentur. Sed enim ut alii *de facto* exerceant, ſolus interim Papa vendicat ſibi quaſi *de jure* debitam hanc diſpenſandi in juramentis poteſtatem. Conqueſti ſunt graviter hac de re, & in Papalium diſpenſationum abuſus acriter invecti, etiam ante Lutherum multi, ad quorum ſcripta remitto iſtarum rerum ſtudioſos ; atque aliquibus argumentis contendo Juramenti vinculum eſſe ſimpliciter indiſpenſabile, ita ut nec Papa nec alius quiſquam ullam habeat omnino poteſtatem cum eo diſpenſandi. *Primò*, quia obligatio Juramenti eſt de Jure Divino Naturali : Jus autem Naturale non ſubeſt foro humano, quum Deus ſolus ſit author & dominus naturæ, nec hactenus potuerit unquam oſtendi, Deum ulli hominum generi aut ordini authoritatem conceſſiſſe diſpenſandi [1] *in his quæ ſunt juris naturalis. Secundò*, quia conceſsâ hac

[1] Et tamen de Papâ ſic gloſſa. *Dico quod contra jus naturale poteſt diſpenſare.* ed 15. qu. 6 cap. authoritatem.

hac dispensandi potestate ; everteretur funditus præcipuus juramenti finis, qui est assecuratio (ut ita dicam) rei promissæ : nullam enim posset habere certitudinem is cui juratur impletum iri quod promissum est, si cum jurante posset dispensari ne impleret. *Tertiò*, quia juramentum eodem ipso actu & in eodem instanti, quo jurandi inducit *obligationem* servandi promissionem, acquirit etiam simul ei cui juratur *jus* ad rem promissam : qui duo effectus Juramenti ita conjuncti sunt, ut posito altero vel sublato, alterum quoque necesse sit simul poni vel tolli. Si ergo supponeretur dispensatione tolli *obligationem* jurantis, sequeretur eâdem tolli quoque *jus* ejus cui juratur. Et inde etiam ulteriùs sequeretur, dispensationem illam aut *inanem* esse aut *iniquam* : inanem & supervacaneam, si volente eo cui juratur fieret ; si invito, iniquam & injustam. Illo enim volente, remitti potest obligatio (ut mox ostendam) etiam sine dispensatione : nolenti autem jus suum adimere, injuria est. *Quartò*, qui in Juramento promissorio non tantùm proximo fit obligatio, quatenus est *promissorium* : sed & Deo, quatenus est *Juramentum*. Ergo, dato sed non concesso, prælatum habere potestatem tollendi obligationem, quâ homo obligatur homini respectu promissionis : præsumptio tamen esset non ferenda, si terra & cinis assumeret sibi potestatem tollendi authoritate suâ obligationem, qua homo obligatur Deo ut testi & vindici. *Quintò* denique, quia dispensatio humana est res *fori externi* : obligatio verò juramenti est intus in conscientiâ, quæ uni Deo subest ut judici, & in quam homo non habet imperium. Quisquis ergo vendicat sibi jus dispensandi in Juramento, assumit sibi potestatem divinam erigendo sibi tribunal *in foro interno*, & exercendo dominium in hominum conscientias.

Et

Et eſt ipſa diſpenſatio invalida, & de jure nulla: ſicut ſententia prolata à Judice in foro non ſuo, quia prolata eſt à non Judice, eſt ad omnem juris effectum invalida.

IV. Torquent hic ſe mirum in modum Diſpenſationum Patroni, ut primi argumenti (quod ſibimet unum objicere ſolent) vim declinare videntur. Sudant nimirum hoc ſaxum verſando, (tuendam enim ſibi vident utcunque Papæ hac ex parte authoritatem, ne culinæ ſuæ malè ſit,) nec tamen proficiunt hilum: dum quo ſe ſolidè tueantur non habent, nec inter ipſos adhuc unquam convenire potuit, quo jure Papa hanc ſibi arroget diſpenſandi poteſtatem. Quod vel unum malæ defenſionis conſcientiam arguit. Quemadmodum enim in bello ſuſcipiendo, ſic & in exercenda poteſtate, cauſa quæ parum conſtanter aſſignatur, facile præſumitur eſſe parum juſta. Sunt imprimis qui poteſtatem hanc diſpenſandi in Juramentis & Votis, ab illa abſolutâ & Oecumenicâ Papæ authoritate arceſſunt, quâ *mundi dominus* eſt, & totius *Orbis Imperator.* Quia enim omnis jurans aut vovens eſt Papæ ſubditus: propterea inquiunt, in omni voto aut Juramento ſubintelligi debere illam conditionem, [1] *ſi Domino Papæ placuerit.* Unde ſequitur, quamprimum Papa ſignificaverit (id quod diſpenſando facit) ſibi non placere ut ratum ſit quod juratum eſt, obligationem protinus ceſſare. Quæ ſententia ſi obtineret, poſſet Papa pro libitu ſuo juramenta quævis reſcindere, ſive ſubeſſet juſta aliqua cauſa, ſive non. Rejectâ itaque hac craſſiore ſententiâ, alii, inque his moderni aliquot Jeſuitæ, negant Pontificem diſpenſare poſſe in Juramentis, aut regum contractus diſſolvere, neque id ab eo fieri, *propriè* loquendo; tollendo ſcil. obligationem, aut (ſtante obligatione) ab ea eximendo privatam aliquam perſonam;

Opin. 1.

[1] Richard in 4 diſtinct. 38 art. 9. v. Sayr. 6. clav. Leg. 11. num. 8.

Opin. 2.

perſonam : ſed dicunt eum diſpenſare *impropri*
[1] Bonavent. Paludanus, Antonius, &c. apud Sayr. ubi ſupra num. 9. tantum ; [1] declarando ſcil. Juramentum in ea caſu non obligare, propter aliquod bonum quod impediretur, aut malum quod ſequeretur, ſi Juramentum illud ſervaretur. Sed contrà, præterquam quod res ipſa clamat, Papam hac in re poteſtatem exercere pluſquam declaratoriam, aut (quod tantundem eſt) ſub declaratoriæ poteſtatis obtentu poſſe cum de Fœderibus, Votis, Juramentis & Contractibus Regum & aliorum quorumcunque pro ſuo arbitrio ſtatuere : quum ſit ipſe in hoc caſu ſupremus ac ſolitarius Judex, cujus ſententiæ omninò ſtari oporteat ſine aliqua appellatione. Vel *primò*, apertè *cauſa juſta* eſt, cur non debeat res Juramento promiſſa præſtari, ut ſi ſit impoſſibilis, turpis, inhoneſta, vel quovis modo Illicita : & tunc poteſt jurans propriâ authoritate, imò verò teneatur retractare quod juravit non expectatâ Papæ vel alterius cujuſquam diſpenſatione : ubi enim nulla eſt obligatio, conſcientia libera eſt, nec diſpenſatione opus eſt. Vel *ſecundò*, Aut *nulla* apparet juſta *cauſa* cur non ſervetur fides Juramento data : & tunc omninò ſervanda eſt : & peccat quiſquis diſpenſationem aut petit aut concedit ; quia manet obligatio, quæ humanâ authoritate tolli nec poteſt nec debet. Vel denique *dubia res* eſt, nec ſatis conſtat propter aliquas difficultates ex utraque parte utrum jurans teneatur adimplere quod promiſit ; & tunc quidem utile erit viros Divini Juris peritos, prudentes & pios conſulere, & ex ipſorum ſententiâ quid facto eſt uſus ſtatuere. Quâ in re cùm peritiâ magis quàm poteſtate conſtet, cur potiores ſint Papæ quàm alterius cujuſquam partis non intelligo ; niſi certum eſſet Papam cæteros pietate & prudentia anteire : quod non eſt credibile, certe non eſt neceſſarium. Alii *Tertiò*, de-

Opini 3.

claratori

laratoria hac diſpenſatione non contenti, ut quæ Pontificiam poteſtatem nimium imminuat, reſponſionem excogitarunt miræ ſubtilitatis : nempe prælati [1] diſpenſatione re verâ tolli Juramenti obligationem, quæ eſt Juris Divini Naturalis ; non tamen propterea dicendum, prælatum diſpenſare in Jure Divino & Naturali. Quia inquiunt, Lex illa Naturæ Divina eſt, ut juramentum quandiu vis ejus & obligatio manet ſervetur : & cum hac lege Prælatus non diſpenſat, ſed per diſpenſationem ſuam tollit illam juramenti vim, quâ juramentum ante diſpenſationem verè obligavit. Sed hæc ſubtilitas ſi ad vivum reſecetur, aut mera nugatio eſt & nihil dicit, aut implicat contradictionem : & eam etiam refellit *Jeſuita* [2] *Achorius* : qui tamen & ipſo eo nomine [3] *Sayro monacho* vapulat. Sic iſti Cadmei fratres, dum ſe mutuis ictibus conficiunt, nec certam defenſionis ſuæ rationem afferre valent, cauſam quam tuendam ſuſceperunt defendi non poſſe reipſa confitentur. Concludo itaque nec Papæ, nec Principi, nec Synodo, nec Senatui, nec ulli Prælato vel Eccleſiaſtico vel ſeculari jus eſſe in fœderibus, contractibus aut juramentis diſpenſandi ; aut quenquam à vinculo juo ante factam diſpenſationem obſtrictus teneatur abſolvendi.

[1] V. Sayr. num. 10. &c.

[2] Part. 1. Inſtit. lib. 6. cap. 1. dub. 4.

[3] Sayr. 6. cla. Reg. 11. num. 12.

V. Iſti de diſpenſatione quæſtioni primæ, proxima eſt ei affinis *de Juramenti commutatione* quæſtio, ſive *Caſus Secundus*. Eſt autem *Commutatio* (ut ipſum nomen indicat) nihil aliud quam tranſlatio obligationis ab unâ materia ad aliam ; quæ ſive major, ſive minor, ſive æquivalens, videtur eſſe aliquo reſpectu commodior. Differt autem *Commutatio* à Diſpenſatione quodammodo ſicut *Species* à ſuo Genere, vel *Pars* à ſuo Toto. Si enim ſufficeret ad ſolvendum vinculum tam una quàm altera : ſolveretur & vinculum *ex Toto* per

Caſus LVIII

Diſpen-

Dispensationem, per Commutationem verò *ex parte* solum. Summa doctrinæ Casuistarum de Commutatione ferè hæc est. *Primò*, posse privatum quemvis sua authoritate sine superioris dispensatione commutare Votum aut Juramentum in id quod est *evidenter melius*. Quod confirmant exemplo ipsius Dei, qui promissa sua temporalia non semper implet ad literam, sed sæpè ea commutat in melius: & adducunt in hanc sententiam dictum Gregorii, Propositum aut promissum non infringi, qui in melius id commutat. *Secundò*, non posse commutari promissum in id quod est *evidenter pejus*, aut de quo dubium est an sit melius, sine authoritate superioris, qui habet legitimam potestatem in ea parte judicandi & determinandi. *Tertiò*, Commutatione omnino tolli obligationem præexistentem à materiâ priori: & induci de novo obligationem in materiâ diversâ. Sed tota ista doctrina falso nititur fundamento, *dispensabilitate* scil. Juramenti; quæ cum nulla sit, ut modò probavimus, ruat necesse est hæc ei superstructa *Commutatio*. Dico ergo breviter, non posse remitti vel solvi juramenti vinculum, aut ex toto per Dispensationem, aut ex parte per Commutationem sine consensu omnium partium. Præcipuè autem requiritur consensus ejus cui juratur; quia ei jus acquiritur quod sine ipsius consensu non debet ei surripi. Exemplum autem à Deo sumptum non est simile: quia *promissiones Dei*, ut sunt omnes gratuitæ, ita temporales sunt etiam conditionales, & intelligendæ cum exceptione crucis, & beneplaciti sui utilitatis nostræ. Nec vero est *Voti & Juramenti*, respectu commutationis ratio per omnia similis. *Votum* enim cum soli Deo nuncupetur, poterit fortasse voventi aliqua licentia concedi permutandi id ipsum in illud quod sit evidenter melius & Deo gratius; cum nulla sit

istâ permutatione injuria alicui tertiæ personæ; ut in *Juramento*, quod homini factum est, fieret illi homini [1] *injuria*, si absque ejus consensu & præter ipsius voluntatem in aliud commutaretur. Ut si Cajus juratus solvere Titio decem libras, daret ei equum decem librarum pretio æstimatum; non censendus esset satisfeciisse Juramento. Iniquum enim, ut quis cogatur rem sibi debitam commutare invitus. Neutro ergo istorum modorum solvi potest juramenti vinculum, aut obligatio tolli.

[1] *Nemo potest mutare consilium in alterius injuriam.* l. 75. de divers. reg. Jur.

VI. Sed posse videtur reliquis qui supersunt tribus modis: *Irritatione* scil. Superioris, *Cessatione* Materiæ, & *Relaxatione* Partis. *Casus* ergo *Tertius* est de solutione vinculi per Irritationem à Superiore factum. Significat autem *Irritatio* (sic enim, barbarè licet, cum Casuistis loquendum est,) actum legitimi superioris, quo authoritate sua irritum facit sive annullat juramentum à subdito sine ipsius consensu præstitum. Rescindere enim posse legitimum superiorem vota & juramenta eorum qui sub ipsorum sunt potestate, & non sui juris, fusè docet [2] hoc ipso capite *Moses*: uti nos ubi [3] de Causa efficiente egimus [3] antè ostendimus. Ratio est, quia is qui alienæ potestati subest, non est sui juris, non habet potestatem se obligandi in iis rebus in quibus subest, nisi ex voluntate superioris cui subest, & proinde non debet aliquo actu suo inducere sibi obligationem sine illius consensu, vel expresso, vel rationabiliter præsumpto. *Jura* enim *Prælatorum* in subditos, ex lege Dei immotâ & æternâ, perpetua sunt. *Officia* insuper *Subditorum* erga prælatos, obsequiique jus & subjectionis, ex eâdem perpetuâ lege, perpetua sunt & indispensabiliter obligatoria. Quæ obligatio antecedens (ex tertia nostra hypothesi) impedit effectum Juramenti subsequentis, ne pos-

Casus LIX

[2] Num. 30
[3] Prælect. 4. num. 5.

ſit obligare : ſemper enim *obligatio prior præjudicat poſteriori* ; & irritum facit omnem actum inductivum novæ obligationis ſibi contrariæ. Dicendum ergo in hoc caſu, *primò*, non debere ſubditum in iis rebus in quibus alteri ſubeſt, jurare ſe facturum quiddam, abſque præſumpto ſaltem ſuperioris ſui conſenſu. *Secundò*, ſi juraverit & res ſit licita, obligari ad faciendum quamdiu non videtur id eſſe contra voluntatem, dignitatem, aut utilitatem ſuperioris. *Tertiò*, ſuperiorem, ſi expreſſo conſenſu ſuo, ſive antecedente ſive ſubſequente, promiſſionem ſubditi ſemel confirmaverit, [1] non poſſe eandem poſtea irritam facere, aut obligationem ejus tollere. *Quartò*, ſi ſuperior quamprimùm rem reſcierit, ſtatim diſſenſum ſuum palàm & peremptorie ſubdito ſignificaverit, prohibueritque id in quod juratum eſt fieri : ceſſare continuò obligationem illam Juramenti tranſitoriam : & ſubditum vi obligationis officii, quæ permanens eſt & perpetua, teneri contrà quàm juraverat facere. Unde ſiquis alienæ poteſtatis ſubditus, puta domini aut patris aut principis vel ſponte ſuâ, vel vi & metu adductus, aliquod fortè Juramentum præſtaret, in quo dominum, patrem aut Principem ſi adeſſet, non fuiſſe conſenſurum crederet : jurando peccavit contra officium debitum, & omnino tenetur illud juramentum ut officio ſuo contrarium, non ſervare. Stet ergo ſolvi vinculum Juramenti ex irritatione legitimi ſuperioris.

[1] *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* 21. reg jur. in 6.

Caſus LX. VII. *Caſus quartus* eſt de ſolutione vinculi *per ceſſationem materiæ*, aut mutationem aliquam notabilem factam circa cauſam Juramenti principalem. Tunc enim ceſſaſſe materiam cenſendum eſt, cum rerum ſtatus inter tempus jurandi & tempus adimplendi ita immutatus eſt, ut ſi quo tempore jurabatur prævideri potuiſſet is qui poſtea

ſtea inſecutus eſt rerum ſtatus, non omnino juratum fuiſſet. Reſpondetur breviter, ceſſante Juramenti, Voti aut Promiſſionis materiâ, ceſſare ſimul ejuſdem & *obligationem* : Quemadmodum in naturalibus & artificialibus, deficiente materia, deficere neceſſe eſt & actionem agentis. Nec enim poteſt ignis urere, ſi deſit materia combuſtibilis : nec faber, ni adſint ligna, ſcamnum facere. Siquis ego miles juret obſequium belli Imperatori : finito demum bello, cum ipſe deſierit eſſe Imperator, non ultra tenetur ex juramento obſequium ei præſtare. Et ſi pater aliquis juraret, ſe teſtamentum in quo filium inſtituiſſet hæredem, nunquam mutaturum : comperto tamen poſtea filium hæredem inſtitutum patri venenum miſcuiſſe, pater non ultrà tenetur juramento, ſed eo non obſtante poterit mutato teſtamento alium hæredem inſtituere. Idem dicendum eſt, cum quis juravit ſtatuta alicujus Collegii ſive communitatis ſibi prælecta obſervare : ſi poſtea contigerit ea ſtatuta revocari vel abrogari, jurans abſolvitur à vinculo illius Juramenti. Ratio eſt, quia radice obligationis ſublatâ, tollitur unà pullulans inde obligatio : fuit autem *Materia* illa quæ cauſam dedit jurationi, radix ejus obligationis quæ ex illa juratione inſecuta eſt. Juramentum enim [1] *ſequitur naturam & conditionem actus cui adjungitur*, id eſt, Materiæ circa quam verſatur, *ſicut acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis* [2] : & quæ acceſſorium locum obtinent, inquiunt juriſconſulti, extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint.

[1] 4°. Reg: Jur in Sexto

[2] l. 2. ff. de pecul. legat.

VIII. *Caſus ultimus* eſt, de ſolutione vinculi *per Relaxationem Partis*, ejus ſcil. cui juratum eſt : ut ſi Caius Titio aliquid promiſerit, an remittente Titio obligationem, Caius promiſſi religione exſolutus ſit ? Ubi imprimis obſervandum hunc lo- *Caſus* LXI.

quendi modum *Remittere Juramentum*, & alium ei consimilem, *Juramenti gratiam facere*, apud bonos authores non uno semper sensu accipi. Sumuntur enim interdum cum relatione *ad Juramentum præstandum*, & sic is dicitur alteri remittere juramentum, vel juramenti gratiam facere, qui cum alter ille paratus est jurare, contentus voluntate non postulat ab eo juramentum, sed injurato credit, vel illà quacunque de causa jusjurandum ab eo, à quo exigendi jus habet, non exigit. Plerunque tamen sumuntur cum relatione *ad Juramentum præstitum*: & sic is dicitur alteri remittere vel gratiam facere, qui ei id quod promissum est condonat, nec rem virtute juramenti debitam, cum exigendi jus habeat, exigit. Sic de Tiberio Suetonius. [1] *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se antea nunquam repudiaturum juraverat.* Et Impp. Antoninus & Verus rescripserunt [2] *gratiam se facere jurisjurandi ei qui juraverat se ordini non interfuturum, & postea Duumvir creatus est.* Et hæc est ista remissio sive gratia Juramenti, quam *Relaxationem* vocant Casuistæ. De qua dico *primum*, Relaxationem istam in Juramentis, Fœderibus, Pactis, aliisque Contractibus humanis locum habere, non item in votis. Ratio discriminis est, quia Vota Deo fiunt ut parti: ab homine autem ea sola relaxari fas est, quæ homini facta sunt. Dico *secundò*, si juretur in gratiam alterius, id est, per respectum ad honorem, obsequium, utilitatem, aliúdve ejus bonum vel commodum: juramentum non obligare, nisi is in cujus gratiam juratur, id gratum ratumque habuerit. Sicut juris nostratis interpretatione, non obligat Cajum ad solvendum Titio centum Chirographum, etsi Caii manu subscriptum, sigilloque firmatum; nisi id Caius Titio tradiderit, Titiusque aut

[1] Sueton. in Tiber. cap. 35.

[2] l. 38. ff. ad municipal,

aut alius ejus nomine & vice ſic traditum acceperit. Dico *tertiò*, Juramentum ſic præſtitum, ſi is cui juratur ratum habuerit & velit ſervari, non poſſe [1] ab alia quacunque tertia perſona relaxari. Ratio eſt, quia nemo poteſt jus alteri acquiſitum, niſi ipſe conſenſerit, adimere. Unde ſequitur quod ante diximus, per diſpenſationem tertiæ perſonæ non tolli obligationem juramenti, abſque conſenſu partium. Dico *quartò*, ſi is cui juratum eſt, remiſerit jusjurandum & nolit ſervari; jurantem obligatione protinus ſolvi nec in conſcientia teneri id facere quod ſe ante facturum juraverat. Ergo Caius Titio jurans ſolvere centum, ſi poſtea Titius ei debitum remiſerit, non ultrà tenetur juramento. Ratio eſt quia poteſt quilibet ſuo jure cedere; & rem ſibi debitam condonare. Debito autem ſoluto, [2] ceſſare ipſo facto obligationem neceſſe eſt; cum terminus obligationis ſit debiti ſolutio, ut ex obligationis definitione patuit; ſicut apud nos, ex ipsâ formulâ ſyngraphæ obligatoriæ conſtat, ſolutâ pecuniâ obligationem ſolvi. Si dicas debitum hic non ſolvi, quia promiſſum non impletur: Reſpondeo, ad omnem juris effectum perinde eſſe ſive realiter impleatur, ſive ab eo cujus intereſt pro impleto habeatur. Ratio eſt, quia *acceptatio* ejus cujus intereſt, eſt interpretativè *acceptio rei*: atque ita, ceſſante quaſi materia, ceſſat obligatio, eadem ferè ratione qua in proximo antecedente caſu dictum eſt. Et hoc ipſum eſt quod [3] *Acceptilationem* Juriſ-Conſulti vocant per quam (*civilem* licet *ſolutionem*, & non veram) non minus tamen obligationem tolli docent, quàm per veram ſolutionem. Si iterum dicas, ut relaxatione tolli poſſit obligatio homini facta, videri tamen obligationem Deo factam non ita: ſicut antè reſponſum eſt caſu Juramenti metu extorti. Reſpondeo, ex rela-

[1] *Non debet alii nocere, quod inter alios actum eſt.* l. 10. ff. de Jurejur.

[2] *Tollitur omnis obligatio ſolutione ejus quod debetur.* l. 1. Inſtit. quibus modis toll. oblig.

[3] *Eſt acceptilatio imaginaria ſolutio.* ibid. v. tit. de Acceptil. ff. 46. 5. & l. 1. Inſtit. 3. 30.

xato eo quo jam dictum est modo vinculo nullam fieri Deo injuriam, sicut fit in violatione Juramenti coacti: quia promissio facta præcisè in favorem alterius, in Deum dirigitur solum, ut testem promissionis homini factæ, & vindicem violatæ ejus fidei quæ alteri astringitur: quam fidem cum non violarit, sed promissioni satisfecerit, omni prorsus obligatione solutus est, & apud Deum & apud hominem. Dico *quintò*, solutionem vinculi quæ fit per relaxationem partis, eousque extendi, quo parti relaxanti placuerit; ut si Caius Titio juraverit solvere centum. Titius autem ei postea quinquaginta remiserit; solvitur obligatio [1] *ex parte tantùm*, non ex toto. Tollitur scil. vinculum quoad quinquaginta remissos, manet quoad quinquaginta non remissos. Rursum, si Caius Titio juraverit solvere centum infra viginti dies, Titius autem videns Caium non posse constituto die sine aliquo suo incommodo pecuniam solvere, concedat ei adhuc viginti dies alios: Relaxatio hæc, quæ fit per dilationem sive prorogationem temporis, eatenus solvit Juramenti vinculum, ut non teneatur pecunias solvere prout initio juraverat intra dies viginti; tenetur tamen, idque ex primi juramenti vinculo intra dies quadraginta easdem solvere. Dico *sextò*, Relaxationem partis valere ad vinculum juramenti solvendum, quantum ipsius interest: non tamen valere in præjudicium tertiæ personæ. Ratio est, quia potest quilibet per actum suum de jure proprio quantum vult remittere: Sed non potest quisquam de alieno jure quicquam demere, ipso vel inconsulto vel invito. Debet itaque unusquisque sic cedere jure suo, ut salvum sit interim alteri cuique jus suum. Sic *Abraham* de bonis jure belli acquisitis post reportatam de quatuor Regibus victoriam, [2] *Gen.* 14. 22. 23. 24. jure suo cessit, cum suam prædæ partem

[1] *In parte debiti acceptilatio fieri potest l.* 1. Instit. 3. 30.

[2] Gen. 14.

tem

tem Regi Sodomorum universam condonavit; reservatâ tamen tribus Ducibus belli sociis quæ eis obtigisset justa portione. Unde Caius juratus solvere Titio & Julio centum, si Titius ei suam partem debiti condonet, solutus est Juramenti vinculo, quoad illam partem quæ Titio debebatur; manet tamen obligatio quoad partem Julio debitam. Ex eodem fundamento fit, ut *relaxatio partium* ex consensu nihil efficiat in *contractu Sponsaliorum*. Quia ibi non utilitas tantùm hominis spectatur, sed & Institutum Dei: cui magna fieret injuria, si contractus ille etsi ex communi contrahentium consensu violaretur. Quia virtus illa & efficacia quam habet hæc de qua nunc agitur relaxatio ad tollendam obligationem, supponit actum illum qui obligationem induxerat, non spectavisse ad aliud aliquid, præter bonum & commodum partis relaxantis tantùm. Si alterius cujusquam interfit ex aliquo suo jure Obligationem non solvi, Obligatio non solvitur.

IX. Eorum igitur quæ de *vinculi Juramentorii solutione* hactenus dicta sunt, breviter hæc summa est. Nec *dispensatione* alicujus superioris nec ulla *commutatione* solvi posse Juramenti vinculum, quin ut jurans adhuc in conscientiâ suâ obligatus maneat, adimplere id quod promisit. Sed posse tamen id vinculum aut *rescindi* & irritum reddi authoritate superioris legitimam potestatem habentis, aut deficiente materia cessare, aut ab eo cui promissio facta est *relaxari*, ita ut obligandi vim penitus amittat. Absoluta jam tandem (Deo auspice) pro modulo tenuitatis meæ, quâ potui brevitate, perspicuitate, fide, promissâ cum hoc publicæ professionis munus auspicarer tractatione e Coronidis loco, monita quædam pauca, velut *Corollaria*, quæ nobis ad vitæ conscientiæque institutionem ex usu esse poterunt, *de Juramentorum*

usu & abusu, attexenda duxi. Idque non per modum paræneseos, ut solent Oratores sacri in concionibus ad populum, sed memores nos in Scholâ docere, non Ecclesiâ, per theses quasdam sive Conclusiones Practicas breviter propositas & dilucidè explicatas.

X. *Conclusio Prima*, & est contra Anabaptistas & Socinianos. *Juramenti usus est licitus.* Probatur *primò*, ex usu veteris Testamenti. Juraban[t] pii [1] Patriarchæ : Jure-jurando terminari controversias instituit in lege [2] *Moses* : conditione[s] in jurando observandas præscripserunt [3] Prophetæ. Neque potest reddi justa aliqua ratio, cur piis sub veteri Testamento jurare licuerit, fidelibus sub novo non item liceat ; cum non pertinuisse jusjurandum ad legem Ceremoniarum per Christum abrogandam, & ex ejus *fine* patet, cujus est perpetuus usus ; & ex *formâ*, quæ nihil videtur habere cum typo commune. *Secundò*, ab exemplis [4] Dei, [5] Angelorum, [6] Apostolorum ; quorum illi ἀνθρωποπαθῶς, hi historicè & κατὰ ῥητόν in sacrâ Scripturâ sæpè jurantes inducuntur. *Tertiò*, à consuetudine omnium populorum ; qui ductu luminis naturæ ad fidem firmandam in civilis societatis commoditatem jurisjurandi religionem adhibendam censuerunt : quo nullum potest esse Legis naturalis indicium certius. *Quartò*, à fine Juramenti ; quæ est confirmatio fidei in rebus dubiis, ubi aliæ probationes deficiunt. Qui finis cum sit necessarius ad tollendas & terminandas lites : media ad illum finem necessaria, necesse est ut sint saltem licita. *Quintò*, à naturâ Juramenti, nihil in se continentis quod sit intrinsecè malum. Neque enim malum est *Actus Religiosus* ; neque malum est *Rei dubiæ confirmatio* ; neque malum est *Divini Testimonii advocatio* : ex quibus quasi membris integratur

[1] Gen. 14. 22. & 26. 31. & 31. 53.
[2] Exod. 22. 11.
[3] Jer. 4. 2.
[4] Gen. 22. 16. Psal. 1. 40. 3 Heb. 6. & 7.
[5] Dan. 12. 7. Apoc. 10. 6.
[6] Rom 1. 9. & 9. 1.

integratur juramenti eſſentialis definitio.

XI. Concluſio ſecunda. *Juramenti uſus in ſermone quotidiano non eſt licitus.* Probatur *primò*, à natura juramenti. Quia actus omnis religioſus, cum ſit pars cultus Dei, debet præſtari cum debitâ reverentiâ, & cum aliquâ animi cùm præparatione tum attentione: quæ omnia abeſſe neceſſe eſt, cum temere adhibentur & ſine judicio, vel incautis & incogitantibus excidunt verba juratoria. *Secundò*, à fine Juramenti, quæ eſt rei dubiæ confirmatio. Quum in ſermone quotidiano de rebus ferè levibus colloquia ferantur, quæ aut non ſunt dubia, aut non tanti ut egeant religioſa confirmatione. Aut ſi tanti eſſent, non multò confirmatior eſſet fides apud eos quicum agitur, ex [1] ejus hominis juramento, qui temerè & [2] multùm jurat: cujus ferè ea eſt apud plurimos exiſtimatio, ut ei vel injurato credatur, ſi putetur vera dixiſſe; vel jurato non credatur, ſi putetur falſa. *Tertiò*, à causâ unde promanant ejuſmodi jnramenta. Quæ vel eſt vitioſus habitus, ex longo uſu & peſſimâ conſuetudine contractus, cujuſmodi habitus cordis prophani, & tantum non athei, fructus & indicium eſt: vel effrænis aliqua animi perturbatio, velut impotentis iræ, aut intemperantis lætitiæ; quibus dum calent animi, facile diſpumant in contumeliam Dei. Quò mihi videntur quaſi peculiariter reſpicere verba illa Jacobi c. 5. verſ. 12. *Ante omnia*, inquit, *nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, &c.* Hortatus nempe erat fideles ad ferendum patienter injurias verſibus aliquot immediate præcedentibus: & verſu ſequente docet quibus ſe rebus exercere deceat hominem Chriſtianum, ſive doleat, ſive lætetur. Locus ſanè dignus, in quo explicando docti viri ſeſe exerceant, & cujus ſcopus & vis ex verborum ſerie, aliquantò quàm ab Interpretibus

[1] οὐκ ἀνδρὸς ὅρκοις πίστις, ἀλλ' ὅρκων ἀνήρ. Æſchyl. apud Stob. ſer. 27.

[2] ὀμνυόδην Philo.

pretibus factum est, accuratius investigetur. Poterit fortassis obiter id hanc rem aliquid compendii afferri ex ista qualicunque verborum (ut mihi sonare videntur) paraphrasi. " Ponite vobis ante " oculos veterum prophetarum & piorum exem- " pla. Si quid mali patimini, eorum sequimini " patientiam. Si illud assequi non potestis, πρὸ " πάντων δὲ at illud saltem, quod nisi negligen- " tissimi esse velitis facillimè caveri potest, ante " omnia cavere, ne aut doloris nimiùm impati- " entes, aut è contra nimium effusi in lætitiam " temerè jurando aliquid faciatis Christiano no- " mine indignum, & in Dei Majestatem contume- " liosum. Quin continete vosmet sive commo- " tiores sive hilares intra debitos modestiæ fines, " nec cœlum terræ miscere, nec omnia clamori- " bus & jurationibus implete, sed tranquillo ani- " mo si quid affirmandum sit, nudè & simpliciter " affirmate; si quid negandum, nudè & simplici- " ter negate. At si vos porrò stimulet acrior ex " utravis parte animi impetus, non ferentis se intra " pectoris angustias concludi, sed aliqua exire ge- " stientis; vestræ erit prudentiæ, animi illum ar- " dorem in honorem Dei convertere. Quâ tan- πῇ πειρᾶσθε " dem arte quæritis? dicam. *Angitur animi quis* πάσχει; " *vestrum?* non ex impatientia prorumpat statim " in juramenta & blasphemias, quod ira æstuanti- " bus proclive est: sed oret potius & precetur " Deum, ut quoad illa mala auferantur, det sibi " patientiam. E contra, *Animo quis est læto &* εὐθυμεῖ τις; " *lœti?* ne sic quidem in juramenta, qui Bacchan- " tium mos est, ora solvat: sed Hymnos potiùs " & Psalmos in laudem Dei moduletur, qui tam " lætos ipsi dies concessit. Si quis Apostoli ver- ba simpliciùs intelligi malit; utatur suo judicio. Exposui tantum quod mihi videtur non improbabile: nemini legem dico. Sed ut redeam ad in-

stitutum

ſicutum curſum, ſi tamen digreſſus ſum: illud interim certum eſt Jacobi verba jurandi illud cacoethes, quod apud omnes & ſummæ & abjectiſſimæ ſortis homines paſſim jamdiu inveteravit, omnino damnare. Multas implerem paginas, ſi quæ in priorum Patrum & veterum ex omni gente Doctorum Hebræorum, Græcorum, Latinorum, imò & hominum etiam Ethnicorum ſcriptis adverſus hanc impiam conſuetudinem occurrunt, in unum congererem. Accipite è pluribus unum & alterum. Ex Hebræis ſapientiſſimum virum Siracidem [1] ——— *Ne aſſueſce os tuum ad jurandum.* [1] Sirac. 23. 9. ---14. ——— *Sicut ſervus continuò verberatus non caret livore, ſic qui Dei nomen crebro in os ſuum aſſumit, non erit purus à peccato. Et vir* πολύορκος *impletur iniquitate.* E Græcis Euſebium Philoſophum Gentilem, [2] *Multi*, inquit, *hortantur homines*; τὸ εὐόρκους εἶναι, id eſt, *ut verum jurent: ego autem exiſtimo* κ) τὸ ἀρχὴν μηδ' ἐυπιτίως, ὀμνύναι, *ut ne quidem omnino facile jurent*: E Latinis Auguſtinum; [3] *Juratione cave quantum potes. Melius quippe nec verum jurare* ——— *non quia peccatum eſt verum jurare, ſed quia graviſſimum eſt falſum jurare: quò citius cadit, qui jurare conſuevit.* Et alibi, [4] *falſa juratio exitioſa: etiam vera periculoſa.* Sed quid opus eſt aliunde teſtimoniis, quum prohibita ſit quotidiana hæc & non neceſſaria juratio, ita ut vix aliud quidquam in ſacris literis diſertius: & ab ipſo Chriſto, μηδ' ὅλως, *Ego autem dico vobis, Ne jurate omninò*; & ab ejus Apoſtolo B. Jacobo loco jam citato πρὸ πάντων μὴ, *Ante omnia ne jurate?*

[2] Apud Stob. ſerm. 37.

[3] Lib. 1. de ſerm. dom. in mont.

[4] In Pſal.

XII. Concluſio tertia. *Niſi ex causâ juſtâ, gravi & neceſſariâ non eſt jurandum.* Eſt Juramentum ex eo rerum genere, quæ nec *per ſe* ſunt *mala*, quales ſunt actus furti, homicidii, ſacrilegii, perjurii, & omnium vitiorum; nec *per ſe expetenda*,

tendæ, quales ſunt actus charitatis, juſtitiæ, obedientiæ & omnium virtutum: ſed quæ eò tantùm [1] [3] *bonæ* ſunt, *quia neceſſariæ*, ex hypotheſi, ſcil. finis, nec expetendæ niſi in ordine ad illum finem; qualia ſunt omnia illa quæ ordinata ſunt ad ſubveniendum alicui defectui, ut Medicina. Ut enim *pharmacum* non propter ſe repertum eſt, ſed propter ſanitatem, nec ullus eſſet ejus uſus, niſi eſſent humana corpora morbis obnoxia, ([2] *Homo medicum propter neceſſitatem*) ſic *Juramentum* inſtitutum eſt ad fidem inter homines firmandam; nec ullus eſſet ejus uſus, ſi non eſſet gens humana ignorantiæ & perfidiæ heu nimis obnoxia: quò fortaſſe ſpectant illa Chriſti verba [3] ἐν τῇ πυρᾷ ὄμνυν. Ergo ſicut vitandus eſt medicinæ uſus, ubi ad vitæ conſervationem & valetudinem tuendam non videtur eſſe quodammodo neceſſaria: ſic & Juramentum vitandum, ubi conſervandæ humanæ ſocietatis [4] *neceſſitas*, veritatis manifeſtatio, & fidei confirmatio, non videntur ipſius uſum aliquo modo efflagitare. Salutare monitum eſt illud Epicteti (ut illius Stoici omnia) ὄρκον παραιτῆσαι εἰ μὲν οἷόν τ' εἰς ἅπαν, εἰ δὲ μή, ἐκ τοῦ ἐνόντος: *Jusjurandum devita, ſi poſſibile eſt, omnino: ſi non, ſaltem quantum potes.* Sancta res eſt Juramentum: ſed quò ſanctior, eò periculoſior, ſi indebitè adhibeatur. Sicut pharmacum, quò majoris eſt efficaciæ & virtutis, eò magis corpori nocet, ſi temerè & imperitè ſumatur. *Juramenti aſſertorii* in Rep. neceſſarius uſus eſt: in publicis præſertim judiciis, ad veritatem eruendam circa facta particularia: quò pertinent juramenta teſtium, calumniæ, purgationis, &c. Extra judicium & in rebus privatis uſus ejus rarior eſt: poteſt tamen quandoque eſſe neceſſarius: ubi ſcil. multùm intereſt, ut ei quod aſſertoriè dicitur fides habeatur, & aſſerenti niſi juret non credere-

tur.

[1] *Non in bonis, id eſt per ſe expetendis, ſed in neceſſariis jurationem habendam.* Aug. 1. de ſerm. 30.

[2] Sirac. 38. 1.

[3] Mat. 5. 37.

[4] *In totum jurare, niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Quintil. 9. inſtit. 2. in Enchirid.

ur. *Juramenti Promissorii* in judiciis usus nullus: extra judicium plurimus, cum publicus tum privatus. *Publicus* imprimis ad continendum subditos in fidelitate suaerga Principes; ad firmandum fœdera & contractus Regum & Rerumpublicarum: ad servandum Leges & Statuta, & consequenter honorem, ordinem, & pacem Collegiorum & Societatum; ad publica munera fideliter administranda; atque id genus alia. Ad privatos etiam contractus confirmandos, ut de præstatione rei inter emptorem & venditorem; de solvendo debito; de depositio reddendo; de mutuo, commodo, fidei commisso, &c. Juramentum à Vetustis frequentissimè adhibitum est. Sed in negotiis privatis plerisque aliæ iniri possunt rationes, minore cum conscientiæ scrupulo, & fortassis efficaciores ad cavendam improborum hominum petulantiam, quàm sunt Juramenta: ut per pignora, fide-jussores, chirographa, testes & alia quæ inducant obligationem in foro externo. Et ubi ista commodè adhiberi possunt, omnino satius esset à juramentis abstinere: ne aut frequenter & levi de causâ jurando, res sacerrima ex nimis familiari usu abeat in contemptum: aut dum multa juramus, labamur quandoque in perjurium. Rectè Augustinus, *Nemo novit nisi qui expertus est, quam sit difficile consuetudinem jurandi extinguere, & non temerè facere, quod aliquando facere necessitas cogit.*

XIII. Conclusio Quarta *Grave peccatum est, Juramentum ab alio indebitè exigere.* Exigit autem indebitè, *Primò* qui cogit aliquem Juramentum præstare, quod non est aut legibus scriptis sanctum, aut moribus (id est usu) receptum, & longi temporis Præscriptione sine intermissione vel contradictione stabilitum. *Secundò*, qui exigit ab alio juramentum quod apertè repugnat, vel ex eo sensu quem verba præ se ferunt secundùm communem

tendæ, quales ſunt actus charitatis, juſtitiæ, obedientiæ & omnium virtutum : ſed quæ eò tantùm [1] *bonæ* ſunt, *quia neceſſariæ*, ex hypotheſi, ſcil. finis, nec expetendæ niſi in ordine ad illum finem; qualia ſunt omnia illa quæ ordinata ſunt ad ſubveniendum alicui defectui, ut Medicina. Ut enim *pharmacum* non propter ſe repertum eſt, ſed propter ſanitatem, nec ullus eſſet ejus uſus, niſi eſſent humana corpora morbis obnoxia, ([2] *Honus medicum propter neceſſitatem*) ſic *Juramentum* inſtitutum eſt ad fidem inter homines firmandam; nec ullus eſſet ejus uſus, ſi non eſſet gens humana ignorantiæ & perfidiæ heu nimis obnoxia : quò fortaſſe ſpectant illa Chriſti verba [3] ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν. Ergo ſicut vitandus eſt medicinæ uſus, ubi ad vitæ conſervationem & valetudinem tuendam non videtur eſſe quodammodo neceſſaria: ſic & Juramentum vitandum, ubi conſervandæ humanæ ſocietatis [4] *neceſſitas*, veritatis manifeſtatio, & fidei confirmatio, non videntur ipſius uſum aliquo modo efflagitare. Salutare monitum eſt illud Epicteti (ut illius Stoici omnia) ἔχειν παραιτήσαι εἰ μὲν οἷόν τ' εἰς ἅπαν, εἰ δὲ μή, ὅσον ἐνδέχεται : *Jusjurandum devita, ſi poſſibile eſt, omnino : ſi non, ſaltem quantum potes.* Sancta res eſt Juramentum : ſed quò ſanctior, eò periculoſior, ſi indebitè adhibeatur. Sicut pharmacum, quò majoris eſt efficaciæ & virtutis, eò magis corpori nocet, ſi temerè & imperitè ſumatur. *Juramenti aſſertorii* in Rep. neceſſarius uſus eſt : in publicis præſertim judiciis, ad veritatem eruendam circa facta particularia : quò pertinent juramenta teſtium, calumniæ, purgationis, *&c.* Extra judicium & in rebus privatis uſus ejus rarior eſt: poteſt tamen quandoque eſſe neceſſarius : ubi ſcil. multùm intereſt, ut ei quod aſſertoriè dicitur fides habeatur, & aſſerenti niſi juret non credere-

tur.

[1] *Non in bonis, id eſt per ſe expetendis, ſed in neceſſariis jurationem habendam.* Aug. 1. de ſerm. 30.

[2] Sirac. 38. 1.

[3] Mat. 5. 37.

[4] *In totum jurare, niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Quintil. 9. inſtit. 2. in Enchirid.

ut. *Juramenti Promissorii* in judiciis usus nullus: extra judicium plurimus, cum publicus tum privatus. *Publicus* imprimis ad continendum subditos in fidelitate sua erga Principes; ad firmandum fœdera & contractus Regum & Rerumpublicarum: ad servandum Leges & Statuta, & consequenter honorem, ordinem, & pacem Collegiorum & Societatum; ad publica munera fideliter administranda; atque id genus alia. Ad privatos etiam contractus confirmandos, ut de præstatione rei inter emptorem & venditorem; de solvendo debito; de depositio reddendo; de mutuo, commodo, fidei commisso, &c. Juramentum à Vetustis frequentissimè adhibitum est. Sed in negotiis privatis plerisque aliæ iniri possunt rationes, minore cum conscientiæ scrupulo, & fortassis efficaciores ad cavendam improborum hominum petulantiam, quàm sunt Juramenta: ut per pignora, fide-jussores, chirographa, testes & alia quæ inducant obligationem in foro externo. Et ubi ista commodè adhiberi possunt, omnino satius esset à juramentis abstinere: ne aut frequenter & levi de causâ jurando, res sacerrima ex nimis familiari usu abeat in contemptum: aut dum multa juramus, labamur quandoque in perjurium. Rectè Augustinus, *Nemo novit nisi qui expertus est, quam sit difficile consuetudinem jurandi extinguere, & non temerè facere, quod aliquando facere necessitas cogit.*

XIII. Conclusio Quarta *Grave peccatum est, Juramentum ab alio indebitè exigere.* Exigit autem indebitè, *Primò* qui cogit aliquem Juramentum præstare, quod non est aut legibus scriptis sanctum, aut moribus (id est usu) receptum, & longi temporis Præscriptione sine intermissione vel contradictione stabilitum. *Secundò*, qui exigit ab alio Juramentum quod apertè repugnat, vel ex eo sensu quem verba præ se ferunt secundùm communem

nem usum loquendi, videtur repugnare alicui juramento ab eo prius legitimè & licitè præstito. *Tertiò*, qui jurare cogit in rem illicitam, quæ scil. est contra officium Deo, aut superioribus debitum, contra leges Regni, contra bonos mores, aut aliàs inhonesta & quæ servari non debeat. *Quartò*, qui Juramentum defert ambigui sensus, ut quoquo modo capitiosum: quò conscientiæ, vitæ, libertati, aut fortunis proximi sui laqueum injiciat. *Quintò*, qui sine necessitate aut metu cogit, aut authoritate impellit, aut consilio, exemplo, dolo malo, aliove artificio aut ratione inducit alium ad jurandum, quem scit juraturum contra conscientiæ suæ judicium. Utinam meminerint omnes qui in magna potestate, conscientiæ, famæ, nomini suo quàm fœdum & indelibilem characterem inusserit *Jeroboamus filius Nebat*, quòd Populum Israeliticum pellexerit ad peccandum: & quantopere gravem Dei iram in se provocent, qui potestate suâ quam Deus unicuique dedit ad constructionem & non ad ruinam, abutantur in perniciem aliorum.

XIV. Conclusio Quinta. *Juramentum oblatum reluctante vel dubitante conscientiâ non est suscipiendum.* Probatur *Primò*, quia [1] *Quod non est ex fide peccatum est.* *Secundò*, quia jurandum est [2] *in judicio*: quod certè is non facit, qui contra conscientiæ suæ judicium facit. *Tertiò*, quia id necesse est fieri alicujus temporalis commodi intuitu aut ad evitandum aliquod damnum, aut ad consequendum aliquod lucrum, aut ad conciliandum alicujus hominis gratiam, aut quid simile. Quàm autem indignum est homine Christiano, Deum mundo, cœlum cœno, animam corpori, gaudium æternum lucro temporali, spem vitæ futuræ præsenti otio, internam pacem externæ posthabere! *Quartò*, quia sic jurans perjurii (gravissimi peccati) periculo se evidenter exponit. Qui enim spe metúve

[1] Rom. 14. 23.
[2] Jer. 4. 2.

ve alicujus temporalis commodi vel incommodi induci poteſt ut juraret quod non debuit, hunc ix credibile eſt non poſſe pari ſpe metúve induci ne adimpleat quod juravit. Perjurium autem el ipſis etiam Ethnicis inter graviſſima illa crimina eſt habitum, quæ credebantur Deorum immortalium iram non in reos tantùm, ſed in poſteros eorum, imò & in univerſas gentes accerſere. Quo magis nobis metuendum eſt, qui Deum illum verum & unum colimus, qui ſolenniter edixit ſe non habiturum inſontem, quiſquis nomen ipſius in vanum aſſumeret: ne dum quacunque oculos obvertimus tam uberem & luxuriantem undique Juramentorum & perjuriorum ſegetem, albeſcentemque jamdiu ad meſſem conſpicimus; Deus juſtiſſimus judex, ad tam perfidam & profanam gentem penitus exſcindendam, peracutam judiciorum ſuorum falcem celerrimè immittat. Iratum ſenſimus jamdiu clementiſſimum Patrem, & læſam infinities victamque (ſi fas dicere) peccatis noſtris infinitam Dei patientiam in furorem verſam. Non facile eſt dicere, ob quæ potiſſimum peccata, ubi omnia ſunt ſumma. Sed profectò qui ſeriò cogitaverit, ex quo nos Deus propiore flagello percutere cœpit, de his graviſſimis jurandi pejerandique peccatis quàm non doluimus, imò potiùs quàm immenſum increverit, hinc infrænata & impunita jurandi & blaſphemandi licentia, illinc pejerandi ſub Religionis obtentu fœda hypocriſis: vix deri poteſt quin ut ei in mentem ſubinde veniat illud Jeremiæ Prophetæ, *A Juramentis terra lugebit.*

Quæ cum ita ſint, viri, patres & fratres, exorandi ſumus qui adſumus omnes, & quotquot ſpiam ſunt hominum, qui paci cùm publicæ Regi & Eccleſiæ, tum privatæ cordis & conſcientiæ ſuæ enè cupiunt: ut contemptum nominis divini & fidei

fidei violatæ crimen ipſi imprimis ſedulo cav
mus, juramenta non neceſſaria omnino fugiam
ab aliis indebitè delata conſtanter recuſemus
nobis debitè ritéque præſtita fideliter expleamu
deinde ut peccandi licentiam & in aliis quoq
quantum in nobis eſt, ſtrenuè coerceamus; De
denique Opt. Max. aſſiduè precemur, ut flage
ejus edocti admonitique & ſub potenti ejus ma
humiliati, ad ipſius miſericordiam confugiamu
juſtitiam agnoſcamus, gratiam imploremus, in pe
catorum noſtrorum remiſſionem, vitæ emend
tionem, & animarum ſalutem, per & propter m
rita Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cui cum Patre
Spiritu Tri-uni Omnipotenti Deo ſit regnum, po
tentia & gloria in Secula Seculorum. Amen.

F I N I S.

6 MA 50